Rara
Con belle tavole
II-8-16 buona copia.
L. 12.

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

722.7
Au2r
cop. 2

REGIÆ VILLÆ
POETICE DESCRIPTÆ;
ET
REGIÆ CELSITUDINI
VICTORIS AMEDEI II.
SABAUDIÆ DUCIS, PEDEMONTIJ PRINCIPIS, CYPRI REGIS, &c.

DICATÆ

A' CAMILLO MARIA AVDIBERTO

Appoſita Poematum, & Epigrammatum

APPENDICE.

AUGUSTÆ TAURINORUM MDCC. XI.

Ex Typographia Pauli Mariæ Dutti, & Ioannis Iacobi Ghringhelli Soc.
Superiorum pet miſſu.

722,1
Au2r
cop. 2
M. SEXTON
3/My37

REGIÆ CELSITUDINI VICTORIJ AMEDEI II.

Sabaudiæ, & Montisferrati Ducis, Pedemontij Principis, Cypri Regis &c.

CAMILLUS MARIA AUDIBERTUS S. P.

SPectatiſſimas regio cultu Villas , quibus paulo antea circumfulſit Taurinenſis Ager ; eodem decòre illuſtres , imò & digniores fortaſſe Tui honore conſpectus , etiam oſtentaret in præſens Dux Invictiſſime ; niſi ferox iſta , & armigera Ætas , quæ tantam intulit neceſſitatem ſollicitudinis , &

laboris

718232

laboris; unà ſimul libertatem ademiſſet omnem quietis, ac voluptatis.

Quod per tot annos ſub hoc Cœlo detonuit, bellum tam grave; nil fermè aut odit maturiùs, aut afflixit ſeveriùs, quam inermes, innocenteſque Delicias. Statim in præludium furoris, quà ſemirutæ, quá everſæ, vaſtatę (ubi mitiùs) ac deformatæ, quotquot circumflorebant Sedes amœnitatis: ac ſi deſtinatum tragicis inverſionibus Theatrum, non aliâ deceret, quam horroris ſcenâ occupari.

Hanc gladiorum iniuriam vindicare Calami ſuum putant. Horum virtute,quibus nihil antiquius,quàm è rogo & cinere excitare Phœnices; eſſe, & facere immortales; prodeunt in imaginum luce, ſurguntque in pagina redivivæ, Voluptariæ, quas hìc exhibeo Baſilicæ: quæ, & mentis oculo, ſic forſitan pulcriores; ùt peregrinos antea ad ſui aſpectum rapuerant; modò peregrinantur, ut placeant: univerſumque per Orbem, decus, quod amiſere, circumferunt.

Aderunt tamen, ac brevi aderunt illa Tempora; quibus, beneficio Pacis, refulgente Populis aurea Ætate, agreſtis etiam Solitudo felicitatem Seculi ſentiet. Hæc certè partim labefactata, partim emortua bello Rura, iucundiſſimæ pridem ſpectacula, ac Domicilia magnificentiæ,Dexteram tuam rogant Princeps Auguſte; ut quæ armata iamdudum, Urbes, ac Regna, vincendo per vim erexit; pacata quamprimùm, eorum collapſam ſepultamque inter rudera elegantiam, ac majeſtatem, per otium regnando efferat, atque exornet: ut ſcilicet ferro

abrep-

abreptum, auro, ſi lubet, ſplendorem ipſe reſtituas: ijſdem aut reddas nomen, aut facias: quibus æternum comparabis, ſi Tuum imperties.

Quamquam! quis in Pedemontio, quis in tota Ditione ſine fama angulus, Tuoque Nomine non inſignis? Quæcunque intrá Regni fines, perluſtrent oculi ſpatia; hæc ſtrenuitatis miracula menti offerunt; illa providentiæ; alia conſtantiæ. Mirum eſt, ignobilibus locis, quantam immortalitatem attuleris! Ignotis Torrentibus, humilibus Pagis, vel ipſis Ruſticorum latè Mapalibus, poſt Te, obſcuritas nulla: Non Rivus, non Viculus, non Tectum; quod vel à pugna anhelantem Te non exceperit; ſive ad pugnam, victoriamque alteram non dimiſerit; ut ad illos maior, clariorque ſemper accederes, ad quos noviſſimè pervenires. Quare libentiùs profectò, quàm ubi, aut uberior frugum, aut liberalior florum Tellus, ſcire Poſteri geſtient; quæ Tibi palmarum Terra feracior: quis Te imperatorio candentem pulvere nobilior Campus inſperſerit: quis ſudorem tuum, tuorumue cruorem hoſtium Fluvius biberit: aut quis ſitienti Tibi, toties Fons bibendus occurrerit; quoties cum Militibus tuis, potum, cibumque communem, nec raro herbidum Solum, Menſas, & Strata Heroum feciſti.

Hiſce hortenſibus in Theatris, totq; quondam extructis amœno luxu, & fædè deletis recenti labe Palatijs; vel paries undequaque pictus, aut Tabularum ordo perpetuus, nuper facta Majorum ſimilia veris effinxit: nunc verò omnis hæc circum Regio, rerum

à

Campeſtris Ædes in Caſtagneti Pago diebus viginti, contra Exercitum ſtetit.

Menſes ſex ſuſtinuit Verruca obſidionis acerrimæ nec ceſſit tandem, niſi ſic diruta, ut ampliùs nulla ſit.

à Te geſtarum, una, ac vera Tabella eſt: Reſpuat Apellis, reijciat Steſicratis manum modeſtia tua; locus ſufficit unusquiſque, Nobis pro hiſtoria, Tibi pro Monumento. Hos Colles, hæc circum Plana, donec Natura non auferat; oſtendent iſta, defendente Te, vel ruſticam Turrim, diù oppugnatori Gallo fuiſſe Rupellam alteram: commemorabunt ij, fatali veluti alliſam ſcopulo, magni Exercitus, Maximique Regis victricem fortunam in Rupecula hæſiſſe: quæ, ùt ſe ſuſtinuit, ùt ſtetit, ipſæ docent ruinæ. Quamdiù de Verrucæ reliquijs lapis remanebit ſuperſtes unus; non Propugnatorem Arci, ſed Arcem defuiſſe Propugnatori fama prædicabit: ut longè maiori gloria Sabaudus victus exierit, quàm Francus Victor intrarit.

Abundè ſit, memorabile illud Tuum, per omnem circum Provinciam, trimeſtre ſequi curriculum; ut celeberrima ubique ſe præbeant, tum virtutis impreſſa veſtigia, tum ſimul gloriæ paſſim erecta Trophæa: cum ingentem videlicet, collectumque de ſelectis hoſtium copijs Exercitum, poſt tergum tuum curſando ultrò, citròque raptares; at ſtatim terga verſurum; quoties Ipſe frontem, quoties telorum aciem, oculorumque converteres: Quod ſanè frequentiùs, quam hoſtis optaſſet, ſemperque feliciùs, quàm Tu ipſe ſperare poſſes, Dux, & Miles egiſti. Hoc Campi, hoc omnes circum teſtantur Amnes: utq; ea ſilens prætereeam, quorum Duria præ cæteris, Sturia, & Tanager, indefeſſi erunt, ac perpetuò ſonori teſtes; fluere in Mare deſinet antea Padus, quàm Salutiano in conflictu, illud

oblit-

oblitteratum mentibus defluat, inſuperabilis animi incredibile facinus; quod decurrentibus licet impreſſum fluctibus, Æternitas ipſa ſcripſit.

Audaciſſimum & miræ fortitudinis Facinus propè Salutias.

Ibit ad Poſteros, trecentis haud amplius equis, cum fluvium Ipſe in fronte tranſmitteres; feſtinantibus retrò Gallorum copijs, præmiſſisque Equitibus octingentis, Hoſte ad ripas iam imminente; medio Te alveo, evaginato gladio, de repente converſum, non expectaſſe diſcrimen, ſed occupaſſe: parum eſt occupaſſe; dicam veriùs, terrore fiduciam, virtute impetum, oblatam pugnam, illàta clade obruiſſe: adeò ut, ne decertaſſe quidem Tibi poſtmodum viderere; qui tàm ſubitò viceras.

Admirandis, quæ hìc inſpexit, fluminum Rex Eridanus, ea continuò, quæ Montium in Italia Princeps, Mons Veſulus, notiſſima nempe vidit, minimé invident. Tuarum hæc erat conditio victoriarum; ut crebræ, multæque cum forent, fierent periculoſæ. Gravior ſemper accidit in paucitate jactura: Itaque vincendo imminutus, Alpes quæſiſti, non latibulum timori, non præſidium debilitati, ſed moram virtuti. Quid inquam moram? Nuſquam magis, quàm Te ubi credidimus declinaviſſe prœlium, feſtinaviſti ad triumphum: tàm impavidus, cum in alta rupium conſcendiſti; cum deſcendiſti, ità timendus; ut venerit, viderit, è veſtigio receſſerit victus Hoſtis: Hic multitudinem faſtidiret ſuam, quæ non excuſabat pudorem; Tu ſecus rara Tuorum manu gauderes; quæ plus contulerat gloriæ, quo plus exegerat á virtute.

Tribus hominum millibus ſtipatus, 16 millia hoſtiū propulſat, & ad receſſum cogit.

At

At erubeſcis, ùt video, illatenus appellari Victor, qui per tot victorias, ad unam ſemper, quæ futura erat omnium Corona, tendebas. Hæc illa eſt, quam Tu ipſe laudaſti: quam Tuo Italia gladio, quam divinæ virtuti Dexteræ, gladius Tuus debet: Hæc, quę Taurinum Tibi, quæ Te Taurino reſtituit: Ea nempè tot uſquequaque victoriarum mater; quam hòc Solum, hic Aer una hora ſpectarunt; Foſſæ, Mœnia, Propugnacula, eloquenti ruinarum illuſtrium fide, nulla ætate ſilebunt: quam Spoliorum denique, vexillorumque multiplici teſtimonio, ipſâque apud Nos Tormentorum ſuorum pluſquam centena voce, in perpetuum Hoſtes confitebuntur.

Taurinum 4. Menſium obſidione, perfracto Vallo, deletiſque Hoſtibus liberatum.

Quid poſtremò de Alpibus dicam? A Lemano lacu, ad Liguſticum Pontum, Pœninæ, Graiæ, Cottiæ, Maritimæ Alpes, tua arma, atq; ora noverunt: omnes palam confeſſæ, non modò nihil uſpiam Tibi, arduum, aſperumve, ſed neque coram Te, quidquam habuiſſe ſolidum, atque firmum. Magnum initio videbatur, per altiſſimos Montium Vertices, militaria volitare Signa; mox æneas belli machinas, ferreis globorum gravata ponderibvs plauſtra, quò potuiſſe inſcendere nondum credimus, vidimus perveniſſe: paſſim Arte, Naturaque obſtupentibus; tàm nihil Tuæ inacceſſum eſſe virtuti, quam irrepertum induſtriæ.

Maiora belli Tormenta in editiſſimas Alpes præter omnium opinionem Portento Artis illata.

Mirum hoc etiam videatur alijs, ex ijſdem altitudinis horrendæ faſtigijs, ſimul Cœli nubila, ſimul mugiiſſe Martis Tormenta: ſociatiſque fragoribus, Elementorum, armorumque tonitrua, ac fulmina, unam

in

in Sedem, bellante Te, conveniſſe: longè admirabilius eſt mihi, per nivoſa, per invia, per immanium crepidines ſcopulorum, ac tetra propendentium Culminum ſupercilia, vadentem Principem meminiſſe: quem mentis oculo intueor, ubique præcipitia, ubique mortis diſcrimina, indolis excelſitate contemnere, ardore animi ſuperare: laſſitudinem ſine mora, laborem ſine labore perferre: in imas Valles, in elatiſſimos Apices, Manipulos, Cohortes, imperando ducere, audendo præire: Hoſtes illinc intercluſos detrudere, iſthìc detruſos premere, propulſare, laceſſere, quid plura? Deorſum, ſurſum, ad terga, ad latera, per omnium uſquequaque Montium aditus, atque anfractus, circuncurſare, irruere, provolare, cum fortitudine alacritatem, cum alacritate victoriam.

Ades enim verò VICTOR AMEDEE; atque ita præſentiâ, oculis, voce, geſtu, impellis, atque incendis ad fortia; ut laudatore, teſte, ſocioque operum Principe, invitet arduitas, horror delectet: maior ſit Ducibus labor, cohibere Militem quam hortari: Teq; ipſum oporteat, inaudito, atque in Exercituum Ductoribus ſuadendi genere prorſus novo, generoſos præter modum animos increpare; virtutem uſque reprehendere; ne audeant, ut metuant, imperare. Sed nullis precibus timiditas impetratur. Fruſtra eſt coram Te AMEDEE, Tui diſſimiles exoptare: fruſtrà revocare præceptis, qui inflammantur exemplis. Quocunque honor, quocunque occaſio, ac periculum vocat; rapit ſe cum interrito Milite Ductor imperturbatus: uſque

àdeò

adeò Princeps Militi, Miles Principi, unuſquiſquè alteri timet, nemo ſibi.

Quot ergò, & quàm præclara olim Minoribus ſuis Montani, Paſtoresque narrabunt; digna, quæ ediſcerent Principes, Heroes imitarentur! Exultat in manu calamus, ſuo argumento ſuperatus; quod ex omni parte redundat, continuòque maius ſuccreſcit. Eodem quippé, ac præſenti temporis momento, agitur ſtylo, gladio: ſcribitur, triumphatur: deſcribuntur geſta, ac deſcribenda geruntur. Undique, ùt audio, ex omnibus Alpium faucibus catervatim erumpunt, ſpolijs onuſtæ Legiones; ſibique invicem reciproca gratulatione occurſantes, dum propria referre ſinguli facta geſtiunt; ad aliena obſtupeſcunt: alternatisque clangoribus excipiunt plauſus, redduntque; & honores non dividunt, ſed confundunt. * Petroſiam [enarrant ij] munitiſſimum Oppidum, aſſultu cepimus, non illato, ſed promiſſo; Captivis pluribus, quàm Victoribus. Exſilias [iactant iſti] prævalidam Arcem, quam Viris, armisque inſtructiſſimam, Cautibus altè prominentem, præruptoque Vallo inacceſſam, ne obſideri quidem, oppugnarive poſſe, Æmuli decantabant; citrà arrogantiæ mendacium, non obſidendo, oppugnandove, expugnavimus.* Mutinum Caſtrum (prędicant alij) regione, hyeme, Cœlo, Naturæ Artisque multiplicatis terroribus circumvallatum; Gallorum hac parte Aſylum, fama, atque opere metuendum; ipſa inſpectante cum Exercitu Gallia, Sabaudum fecimus: omnisque catena Montium, circumſidensque Alpibus corona Turrium, Caſtellorumque inſpecto

Peroſa.

**Vulgo Feneſtrelle.*

inſpecto protinus Alpium Domino, ſummiſere Cervices. Quid diſcurram per ſingula? Forcipes, Lunulas, Parmas, Aggeres, Ualla, Receptacula, Clauſtra, ſexcenta huius generis ad ſecuritatem, terroremque diſpoſita, locis innumeris Propugnacula, ut, tanquam maiorum Operum appendicem, rapida permearet, ac ſibi fidens victoria; quid uſpiam, amabo, præterquam nutum Principis expectavit?

Hoc ſemper habuit, magna quæq; præſertim in bello fortuna; ſpectare tanquam apicem gloriæ, gloriam celeritatis: ut Cæſares, ut Alexandri, quoties lentè viciſſent, viciſſe ſe non putarent. Econtra Tibi, ſi quidquam obſtare potuit ad laudem, unus hic tantus obſtitit celeritatis exceſſus: adeò ut præpoſtero precandi more, lentos ego potiùs Triumphos, & ſeras Tibi, morranteſque palmas ſim optaturus in poſterum: ne, aut fortitudini detrahat, quod adſcribet Fama felicitati; aut magnitudinis opinionem captatura prodigijs, fidem amittat veritatis.

Hæc verò in agendo, ſuperandoque virtus tam expedita, ac proſperitas tam ſecura, admiranda continget alijs, non æquè Nobis, non Tibi; quem certò intelligimus, omnium belli operum non priùs initium ſuſcepiſſe; quàm ordinem, exitumque prævia mentis comprehenſione, porrectâque in fúturum prudentiæ luce præveneris. Serò profectus es in bellum, citò abſoluturus Triumphum: meditatus in otio, quod eras in labore facturus; nondum in apertum prodieras, iám in occulto vincebas: nihil ut indè aut adituro imper-

vium,

vium, aut pugnaturo arduum, aut tanquam imparato novum, uſpiam occurrere, atque obſtare potuerit; qui longè tecum prænoveras, qui iám percurreras, ac ſuperaveras omnia, antequam veniſſes.

Quid itaque mirum, quòd peragratæ Victorijs Alpes, Menſis iter fuere? Quòd, (ùt September olim Cæſari Auguſto) noviſſimè totus Tibi aſſiduas floruit in lauros, prodigiorum plenior, quám dierum Auguſtus? Quòd bellator hoc anno ſerus, expeditusque Victor, cæteris Seculi Heroibus, adhùc in arena ſudantibus; Jpſe unus, emenſo palmarum Stadio, iàm fructus colligis; iám ad metam quieſcis; ut ijſdem propterea, qui etiamnum militant, qui triumphant, glorioſiùs otieris?

Anno 1708. *quo hæc ſcribuntur.*

Gaude hoc animo tuo Princeps; & palmis palmas ſerendo, fruere, dum per Superos licet, obſecundante fortuna virtutibus tuis: donec Pacem, ad quam per arma tendis, per triumphos conſequare. Efferent deindè, ſi iubeas, caput; novosque induent vultus, Regalium Villarum á ſuo deiecta ſplendore corpora; totque alia adhuc extantia avitæ veſtigia magnificentiæ, per Te renaſcentur ſi velis; pretiũq; ut effulgeant, meritũ, ùt perennent, accipient. At quæ innumera locis omnibus, & ampliſſima reliquiſti invictæ fortitudinis Monumenta, ſe ſe undique Poſteris, etiamſi nolis, proferent, atque oſtendent: ſuique perennitatem nominis, quam conſecuta per Te fuerunt, etiam invito Te, & abſque Te tuebuntur.

Ergò velis, nolis, etiamſi nullum excites, neque reſtituas, aut reſtaures, manſurum Seculis baſilicum Opus; heroicum nuſquam deerit, atque immortale,

vel

vel in omni Alpium lapide elogium. Stabit ipſum perpetuò, in memoriam Tui, non unum (ſinito ut dicam) ſed geminum Regnum: Vetus alterum, quod labore, ac fortitudine defendiſti; Alterum recens, quod vi armorum, ac iure fœderum comparaſti: Verus utriuſque Conſervator, & Parens; quorum haud planè ſcio, utrum feliciùs; iſtudne Dominatu, an illud Domino creverit.

Intereà, ſi qua forte Regijs moleſta auribus protulit parum grata laudatio; ad præconia tua, tanquam ad rem aſperam, atque duram, grandem animum etiam adhibe: pudeat deeſſe patientiam, modeſtiæ tuæ parem: proindè gratulantia verba, plaudentemque ſermonem, non æſtima, ſed audi; contemne, ſed patere.

Hæc verò Rura, Ædes, Hortosque, Principum conſuetudine, ac liberalitate percelebres, non modò benigno lumine patieris, ùt ſpero; at Tuo etiam efficies amore nobiles, præſidio felices: tantùm memineris, Parentis optimi, qui amor, ac delicium Seculi fuit, amorem, ac delicias extitiſſe. Nihil inglorium, iners nihil, ac molle amœnitas iſta exhibet: Mars inter Nymphas; arma, & palmæ paſſim inter flores occurrunt: erudita ubique, atque armigera Solitudo, qualem Cyrus, qualem Scipio voluiſſet: quæ non deceat modò, at etiam docere honeſtum animum poſſit. Haud tamen Operis merito, ſed Patris indulgeas genio, faveas beneficio. Eius olim ſuſceptum nutu, Regio eiuſdem dicatum Nomini Carmen, viciſſitudo Temporum tulit, ut Filio Regnante, in lucem prodiret: ut nempè gemino, maximoque duorum Principum munere, à Parente vitam acciperet, à Te immortalitatem. Vale.

IOSEPH TARINUS SOCIETATIS JESU

In Provincia Mediolanenſi Præpoſitus Provincialis.

CUm Opuſculum, cui titulus *Regiæ Villæ, Sylvæ, Epigrammata à P. Camillo Maria Audiberto noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum*, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint: facultate nobis à Patre Noſtro Michaele Angelo Tamburino Prępoſito Generali communicata concedimus, ut Typis mandetur, ſi itá ijs ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Societatis noſtrę munitas, dedimus. Mediolani die 21. Iulij 1711.

IOSEPF TARINUS.

L*Ibrum, qui inſcribitur* Regiæ Villæ, Sylvæ Epigrammata Auctore Camillo Maria Audiberto S. I., *avidiſſimè legi, neque aliquid modò bonis moribus, aut Fidei diſſonum in eo animadverti, ſed tantam inſuper Ingenij vim, ubertatem, amœnitatem; ut Regiæ Magnificentiæ Delicias Styli Elegantiâ non tàm exprimat, quam æmuletur. Plurimum itaque ad Principum gloriam, ad Patriæ Splendorem, ad ornamentum litterarum conferet; ſi publicâ luce fruatur. Taurini* 18. *Decembris.* 1710,

Carolus Hyacinthus Ferrerius Soc. Ieſu.

Attenta prefata atteſtatione.
IMPRIMATVR.

Fr. Io. Albertus Alferius Sac. Teol. Magiſter.
Vicarius Generalis S. Officij.

I*N hoc Opere, quod demandato mihi officio perlegi, non modò, quod publico bono repugnet, nihil offendi; imò verò, cum Litteratis delectationem pariter, atque utilitatem afferant, Omnia luce, ac laude publica, digna cenſui.*

Ricardus A. G.

LECTORI.


OPVS prima iuventute ſuſceptum, pluries intermiſſum, iterum atque iterum ad oleum, & operam revocatum; nec ſemel promiſſum Typis; at ſubortis curis gravioribus, ſpe publicæ lucis ſtatim, ac ſemper orbatum; nunc denique impulſus licet ſuaſionibus Amicorum, vix audeo palam proferre: hac mihi iniecta formidine; ne videlicet quod expectatum perdiu, opinionem, ac deſiderium ſui excitavit, præſens deſipiat, ac vileſcat: & Operis ſimul pretio, ſimul Auctoris nomini multum detrahat. Bono animo tamen ſim, ſi æquis me oculis adſpexeris Amice Lector; modò etiam attentus lentuſque iudex, neutiquam inconſultus, ſubitusque cenſor acceſſeris.


Præmonitum in primis velim, REGALIBVS VILLIS Titulum unum inſcribi, unumque præmitti Exordium; de uno tamen conflando Poematis corpore, nè cogitatum quidem. Placuit ſequi Virgilium, qui libros quatuor Georgicorum, de quibus Poema unum confingere nunquam ſomniavit, uno Titulo, eodemque Proemio generatim complexus eſt. Quare huiusmodi Villas, non alio Vinculo, quam argumenti ſimilitudine, locorum, aut ſuccedentium temporum ordine cohærentes, omnimodè Sylvarum adinſtar

habeas : neq; aliter eſſe habendas , iambicum interiectum carmen , item amplificatæ Vrbis , Regij Athenæi , ac Muſæi Sabaudi deſcriptiones ſeorſim appoſitæ , ipſa apertiùs luce teſtantur .

Complures verò digreſſiones ad hoc Carminis genus maximè ſpectare cenſui ; eundem Virgilium habens authorem , cui rem pariter in agreſtem , vſitatius nihil , quam ſimilia inſerere parerga; ad Hiſtorias , & Fabulas paſſim divertere ; tum Romanas laudes , ac ſua præſertim tempora liberiùs, cupidiùſque pervagari . Immò hanc mihi potiſſimum in his luſibus non inficior ineſſe mentem ; vt res Sabaudicas , noſtrâque in primis ætate , memorabilia ſi qua evenerint ; formidololoſas præ cæteris bellorum vices , exituſque inſperatos , quacunque opportunè liceat, Poſteritati depingam.

Stylum denique , ſive elocutionis poeticæ characterem non ubique conſimilem animadvertes opinor : at etiam memineris , non uno omnia effuſa partu; ſingula imò diverſis tempeſtatibus ferè maturuiſſe: haud mirum proinde videri , quòd per ætates omnes traductum Opus, iuventam modò , modò virilitatem , non nihil interdum etiam de ſenectute redoleat . Vale .


Valentinum
Depiene. f.


Valentinum

VALENTINVM

DElicias Regum, generoſa in Rure ſuperbo
Otia, Natura inſignes, atque arte labores
Ordior: Alpinis quibus ingens additus Oris
Eſt honor,& magno Eridano: primãq; vocaris
In laudem, Auguſtâ quæ prima occurris ab Urbe,
Magna Valentinæ, ſed iuſta ſuperbia Villæ.
CAROLE tranquilli tua ſunt hæc munera Cœli:
Quo Regnante vigent Urbes, ac Regna quieſcunt
Itala. Terra etenim, ac Pelago bacchantibus armis,
Nos adeò hic tantus bellorum præterit ignis;
Ut Padus ardentem ſub Te non ſenſerit Orbem.
Si ſemel Alpini rupiſſet fœdera Clauſtri,
Ferrea tempeſtas, quæ totam immiſcuit Arcton;
Heu! miſeræ quis honor Floræ, quæ Regna Dianæ?
Omnia Martis erant: Ergò quas utraque debet,
Utraque promat opes; hæc floribus, altera lauris,
Aurea præcingens referentem Secula Regem.
Fertur ubi in longum, mediam Via lata per Urbem,
Et duplex emenſa Forum, procul exit in Auſtrum;
Hinc, atque inde, eadem facies, par ordo Domorum *Media in Vrbe Vicus maior.*
Dirigit ad Portas; teque extra Mœnia ducit
Lætantem, atque animo repetentem viſa beato.

Ut Campi data libertas; occurrit ab Ortu
Extra Portas Ambulacrum Arboribus conſitum.
Scena virens; oculosque vocat promiſſa voluptas.
Ire iuvat: Spatijs reſeratur pervius æquis
Quadrifidæ novus ordo Viæ. Stant agmine longo
Cuſtodes umbrarum Ulmi: Quando æſtifer urit
Sirius; hinc totis proſcripto Sole diebus,
Frondea Tecta ſubire, & opaci frigora Cœli
Carpere, Regis amor: famulans ubi Sylva fluentes
Curvat in obſequium Dominis ſubeuntibus umbras.
Carcere in hoc viridi ſervata fidelibus auris
Cuſtoditur hyems: ſpirantque æſtate Novembres.
Hâc per delicias, oculumque tenentia multa,
Perque avium dulces alterno murmure pugnas,
Tantùm delicijs iter eſt: ſperantque fruendo
Lumina: ſuſpenſum præſentia gaudia greſſum,
Sed celerem ſperata volunt. Tandem oſtia Sylvæ
Reſtituêre diem: pigeatque exire beato
Carcere; ni cupidos Scena occupet altera viſus.
Ædium proſpectus anterior
Panditur improviſa oculo Domus: ante decorum
Laudavit, quam vidit opus. Patet Area in orbem;
Exoriturque Forum; cui maieſtatis honorem
Dant ſpatia; & clauſi libertas maxima Cœli.
Atrij amplitudo, & ornatus.
Prima loci facies: it claris Porticus umbris;
Ampla ubi marmoreos admittunt clauſtra per arcus,
Non Solem, at ſine Sole diem: Seque ipſa ſuperbit,
Ponderibusque ſuis: crebro quippe ordine ſubter
Nobile perpetuæ ducunt diadema columnæ;
Deſuper hinc inde elatæ capita Æmula Molis
Incubuêre; pari ſeque admirantur utrinque

Invidia : Cœlo æquali Teſtudine fulgeat ;
Unde lares domina deſpectent fronte minores.
Præterea aerios Statio ſuſpenſa per arcus ,
Marmore quam duplex clathrorum marginat Ordo;
In procurrentem circummeat avia gyrum ,
Libera diſcreti iungens commercia Tecti :
Clara ubi cælato ſurgentem in corpora Saxo
Ars Populum poſuit : varijs quæ viva figuris ,
Spectatrix æterna ſui ſtat turba Theatri .
Hinc quoties hilari gens circumfuſa coronâ ,
Vidit adulantes Regum Natalibus ignes!
Vidit ludentes geniali Marte furores !
Centum animo rediêre dies : quibus aurea pubes
In ferro meritura decus , ſine ſanguine bella
Miſcuit , & ſolidam petijt per ludicra laudem .
Præſertim meritæ ſpondens ubi præmia palmæ ,
Æreus invitat ruituras Annulus haſtas .
Tum iuvat obſeſſas Procerum , Matrumque coronâ
Aerias circum Moles , Martemque tueri
Læta theatrali dantem ſpectacula ludo .
Inque vicem ſubit intento dum quiſque lacerto ;
Cui faveat, Soror , Uxor habet . Probat illa ferocem ,
Illa manum increpitat lentam : nuſquam altera euntem
Pallida perdit equum ; pendenteque pendet ab ictu .
Penſile , qui ſumma libarit cuſpide Vinclum ;
Error habet laudem . Spatio ſi devius arcto ,
Afflarit tremulum vicinæ ſibilus haſtæ ;
Fert pretium , Veniam . Peccavit turpiter ille ,
Cui rapit aura procul vulnus : ſed turpiùs errat

Statio circum decurrens .

Septum ex marmore , & Statuæ

Spectacula , & ludi frequentes .

Collineantium in Annulum certamina .

Varia ſpectantium ſtudia .

Pugnæ ratio , & Victoriæ .

Lan-

Lancea, quæ veniens celſo audaciſſima niſu
Mox ferit; & plagam transverſo in Stipite figit
Deformem: Ille dolore amens, amentior irâ,
Culpat equum; & ſortem, ſeque increpat, & ſua tela;
Non tamen aut crebri riſus, plauſusve maligni,
Aut incompoſito miteſcit turba Theatro.
Haud ita peccavit, cuius violenter adactus
Forcipis æratæ mucro convulſit habenam;
Orbiculique foros, atque omnia abegit in auras:
Iſte nec amiſit palmam, neque præmia palmæ
Prima tulit, laudes contentus habere ſecundas.
Victoriæ ordine Secundus. Primus ovat, decoratque diem, nomenque triumphi
Integrat; in medium cuius collineat orbem,
Certa ferire manus, quó deſtinat. Ora patentis
Introit; armillamque ferens innexuit haſtæ:
Ac volitans totâ, ſequitur quem plauſus, arenâ,
Haud dubiam oſtentat Telo victore coronam.
Aſt quando vacua Campi ſtatione pateſcant;
Quam latè hinc oculo circum dominabere! Utrinque
Diviſere ſuum ſibi Flora, Dianaque regnum.
Hortus Regius. Primus honor Floræ: quæ primùm Rure potita,
Prole colorata prægrandem illuminat Hortum.
Quod ſtupeas, creta Tellus ſolidata tenaci
Eſſe iubetur inops. Quanto eſt expulſa labore
Fertilitas! Miratur ager ſudare Colonum,
Ne quid Terra ferat: iactat nuda illa decoram
Pauperiem, magnis Domino ſudoribus emptam;
Et laudatur iners: & ſunt ſola otia fructus.
Tantùm humilem Sylvam, attonſa deſcribere buxo:

Con-

Conceſſum: & virides oculo componere Scenas.
Haud tamen eſt miſero penuria Veris in Horto:
Nilque ſuo Ver debet agro. Cuſtodit aprilem
Urna frequens: nullum hìc non claro nomine germen,
Exiliove inſigne ſuo, vel Stirpe ſuperbum,
Vel Patria. Flos nullus abeſt, quem purpura maior,
Quem nota nobilior, quem pulchrior ornet amictus;
Et formæ inſigni, dotem qui iungat odoris.

Hortenſis Areola vulgò Parterre.

Dignum nempe genus, quod non vulgaria laudent
Lumina, & obſcuræ occidat manus atra Puellæ.
Ambitio eſt, ſi forte data nece; Regia Coniux
Teſtetur placuiſſe ſibi. Roſa perbreve donum,
Non queritur, ſeu lecta manu, ſeu pectus adepta
Reginæ, regina mori: tum funere odoro
Exhalare animam, quam Principis hauriat Uxor.
Eſt quoque divitibus ſpoliari gloria Citris:
Seu quum Vere novo caneſcunt flore recenti;
Sive ubi Sol flavo decoxit mala colore;
Argentum modò ferre ſuis, modò Regibus aurum.

Hic honor eſt Hortis. Floram excipit ardua celſo
Exuperans capite, & regno maiore Diana.
Illa ſenes Sylvas etiam ad felicia nutrit
Otia. Laudatur ſterilis, cadit utilis arbor,
Fertilitas cui culpa fuit. Tantùm horror, & umbra,
Divitiæ cenſentur agri. Fugit ordo viarum
Plurimus, & cupidos per longa pericula viſus
Exercere iuvat: metiri lumine curſus,
Præſcriptasque fugas Nemorum. Non præterit arbor
Conſilium Domini: meminit qua lege iubetur

Voluptarium Nemus.

Cre-

Creſcere. Si quando iniuſſis audacia ramis
Luxuriare fuit; timidi non ira Coloni
Diſſimulat vitium: nec parcit pigra ſecuris,
Nec ferit imprudens: ubi culpa exuberat, inſtat
Ictibus; emendatque nemus per vulnera Cultor.
Hìc Zephiri placidum frigus, dulceſque querelæ
Ferarum Sylveſtrium greges. Sat nunquam Terei conqueſtæ crimina Prognes;
Fertque cupido ſequi temeré ludentia circum
Agmina Damarum. Spatioſo limite clauſa,
Se Fera vel neſcit captivam: aut carcere in ipſo
Eſt libertatis fiducia tota tuendæ.
Hæc ergò Nemoris ſpectacula præbet, & Horti,
Porticibus Statio incumbens: quis deinde ſupremum
Magnificè extructum Palatium. Non vereatur opus, ſtupeatque in Principe Tecto?
Ille Italum Mars, ille potens terrere Potentes
Bello ingens Avus, hic Paci dum grande parabat
Conditor Carolus Em. I. Regnantis Avus. Se dignum, & Magnis Magna de Coniuge Natis
Delicium; his iam tum Sylvis erat umbrifer omnis
Intercluſus ager: iam tum nigrantibus umbris
Catharina Phil. 2. Hiſp. Reg. Filia. Candentum fuga Damarum prodente colore,
Longè inſectantem fallebat callida turbam;
Raraque Venantum merces, aut ſera cadebat.
Hìc antea Venaticus Lucus. Sæpe etiam infidæ male tuta per otia pacis,
Hìc nova bella, novas acies, Mars alter, & alter
Edebat Campus: teneras cum nempe Puellas
Ferrea ſollicitans ætas, muliebria penſa
Pertæſas, pulcro armorum ſuadebat amore,
Quærere amazonias in Circo, & pulvere laudes.
Accipe nunc Auguſte Nepos, ſi ſera meretur

Muſa

Muſa fidem, hoc Luco palmas, hoc Marte relatas; *Valentinum unde dictum.*
Nominis unde decus, famæque inſignis origo.
Tu Seriem obſcuri da Phœbe retexere facti.
Dicta dies aderat, feſto decoranda Triumpho,
Iuge ſecuturis nomen factura diebus,
Et famam meritura loco. Venatica paſſim *Venatio Solemnis ad hoc decreta.*
Agmina, laxatis loris, umbrique, britannique
Illyricique canes, ubi libera facta poteſtas,
Præcipitem nemore effuſi ſparſere furorem;
Sollicitumque gregem effractis egere latebris. *Grex Damarum.*
Extructum medio circumſpectabile Luco
Pegma erat: hinc ſuper in gyrum Legio aurea fulget;
Præ quibus Hippolyten Tanais,celebresque Lacenas
Sperneret * Eurotas: aut ſi hæc foret Attica tellus, *Laconiæ Fluvius.*
Crediderit totidem delapſas Axe Minervas.
Fæminea occludunt galeæ ſic ora: viriles
Sic tela oſtendunt animos: tamen arma coruſcant *Delectæ Viragines Venatrices.*
Diſparia: & pro cecropiæ mucronibus haſtæ,
Præ manibus catapulta brevis, ferrugine terſa
Fulgurat. Hæc nitrum, & glandes (ea pabula mortis *Singulæ brevibus Catapultis inſtructæ.*
Quæ ritè expediunt, atque in cava guttura trudunt,
Ter, quater, æratæ tundentes verbere virgæ)
Utiliter differt: donec vocat hora nocendi;
Qua cadat, exploſo, Fera dum cita tranſilit, ictu.
Hoc animo, his armis, hoc pegmatis orbe [timendas
Crudelesque minùs, quam cum fera bella pudori
Blanda tulit forma indulgens, minimèque ſevera
Virginitas) novitas alacres, ſpes, pompa, cupido,
Spectatorque ciet Princeps. Qui præpete coram

B Factus

Factus equo; inſignem præſtanti corpore Damam,
Fatiferâ, Prior illa, inquit, quæ glande petitam,
Nominis imponendi meritum, & conditio. Spectantum ante oculos, & pleno teſte Theatro,
Fuderit exanimem; illa ferens memorabile Donum,
His Laribus nomen dabit, & Fundamina ponet.
Inde, ut erat lecto Juvenum ſtipatus equeſtri
Agmine, partitis Nemus obſidet undique Turmis:
Quaque manu, æratas, quo ſueverat ore, phalanges
Proterrere; Pado toties, quique Alpibus Hoſtes
Arcuit innumeros, aut Marte fugavit aperto;
Fundere nunc acies non dedignatur agreſtes;
Venaticæ hiſtoriæ Ordo, & exitus. Nec terrere Feras humiles: Quas undique iam iam
In medium, extremis paulatim è finibus actas,
Caſtra canum,alipedumq;,Equitumq;hinc inde ruentum
Circumfuſa tenent, armisque propinquiùs urgent.
Hìc ubi ſperati curſus,notæque viarum
Ambages periere oculis: ſtipataque densè
Turba coit; nulluſque fugæ clareſcit hiatus:
Feræ unum in locum coactę. Sed furor hinc Equitum converſis obvius haſtis,
Lætitia hinc Matrum furibundo barbara ritu,
A dextra, lævaque vetant ſperare ſalutem;
Quid reſtat? Ruere in gyrum, totoque vagari
Circuitu. Anxietate, & ſollicitudine vitæ,
Deſperant fugere, & fugiunt. Latratibus inſtat
Ira canum inſanis; Collesque, Amnesque reclamant.
Dum circumcurſant, in eas de Pegmate Matronæ diſplodunt. Nunc tempus, nunc hora vocat, nunc vertere contra
Intentas in damna manus: animasque fugaces
Ære ſequi ignivomo; volucri nec fallere glande.
Dama erat in toto ſociarum maxima Circo,

Ceu

Ceu cuncti Regina gregis : quam vertice euntem
Sublimi, rapida inſequitur, glomerataque circum
Turba minor, mediam advolitans, urgetur, & urget.
Hanc unam iamdudum oculo vigilante, manuque,
Virgo omnis petere, & tacitis promittere votis:
Sibilat at quoties directum in pectora plumbum,
Uni decretos, forte altera ſurripit ictus:
Nec ſemel immiſti, damisque minoribus auſi
Jungere ſe comites, ſperantes nobile lethum,
Fæmineo Lepores inſultavere furori:
Dumque erupturam prænoſcunt affore glandem,
Præveniunt; celerique obiectant Corpora ſaltu,
Furanturque necem; atque aliena morte recumbunt.
Sic iam centeno tonitru, centumque petita
Fulminibus, fruſtra toties deterrita, inanes
Cœperat accuſare metus, ſecura malorum.
  Sera quod ambiguus tulit hęc ad tempora rumor,
Hìc referam. Cherio quam Tauri inviderat Aula,
Fama Valentinam, præclara ab origine prodit;
Ore Helena, ingenio Pallas, virtute Camilla,
Auguſtæ ante alias commendatiſſima Matri,
Alma Triumphatrix, hodiernaque fertur Amazon.
Iſta nihil temerè, nihil infeliciter auſa,
Nec viciſſe putans, niſi primo vinceret ictu;
Mortis avara diu, grege pervolitante minore,
Ne imprudens noceat, longa feritate pepercit:
Donec, ubi ſuperante patens Fera credula ſaltu
Emicuit, fatale fuit potuiſſe videri.
Momentum arripiens Virgo, ſic miſſile lethum

Valentina B. Cherienſis Patritia.

Catharinæ Auſtriacæ honoraria Ancilla.

Ab hac relata palma.

Expedit;ut puncto cadat illa, hæc viderit uno.
Ilicet abrupta in medio fuga, vitaque curſu,
Victricem inclamat, victricia Virginis arma:
Lætitiæque iuvat teſtem vidiſſe cruorem;
Vulnus, & accepto media inter tempora plumbo;
Conſpicuum, totâ laudatum funus arenâ.
Concurſu fremit omne nemus, plauſuque faventum.
CAROLUS ante alios, dilecto in Nomine geſtit;
Nec celebre auſpicium differt; nec dona moratur.
Purpuream, gemmis diſtinctam, auroque rigentem
Quam Myſiæ infenſo Regi detraxerat olim
Barbaricam clamydem, VIRIDIS cognomine victor;
Illius & lateri ereptam, Spolia inter opima,
Intexto niveam argento, viridique ſmaragdis
Syrmate pendentem, pretioſo pondere Zonam,
Virginis exuvias iubet eſſe. Superba Trophæa
Virgo modeſta gerens, Tellus ubi foſſa dehiſcit,
Exceptura baſim, magnæque exordia Molis;
Accedens, [clara Heroum Me Inſignia quando
Mentiri voluere Virum; Muliebria longè
Auſpicia: æternum ſi fas imponere nomen,
Eſto VALENTINUM:] & Lapidem, ſic fata, locavit.

Carlovicus Myſiæ inferioris, ſcilicet Bulgariæ Rex ab Amed. viridi, prælio victus.

Qua celebritate Valentino impoſita Cum nomine fundamenta.

Mox feſtinato non intermiſſa labore
Hæc operum facies, hoc fauſto nomine crevit.
Longa Domus Cœlo Teſtudine vibrat acuta
Tergeminum procera caput. Quà conſpicit Urbem
Grandibus ante Lares venientes excipit Hortis,
Ampla theatrali dirimit quos Area Circo.
Quà mirata Padum, Scalis deſcendit in Amnem;

Tur-

Turribus in Cœlum aſſurgit: Certare putabis
Æmula Tecta Jugis; nec cedere Montibus Ædes.
At neque Mole minor labor eſt, pretiumve labore.
Exteriora domus commendat gloria formæ:
Interiora fluunt luxu. Laquearibus aurum
Viluit: & reddunt rarum nihil, Omnia rara.
Vaneſcit paries. Nuſquam conclavia Flander
Nobiliùs veſtivit acu. Stupet India Gangem
In thalamis riguiſſe ſuum. Specula undique fulgent:
Occurriſque Tibi paſſim, Teque ipſe ſalutas,
Et tua de claro tecum ora loquentia vitro.
Sunt quę furantur, redduntque fidelia vultus:
Sunt quæ millenas pro ſimplice imagine formas
Reſtituunt: alijs mentiri mille receſſus,
Credibileſque fugas, & fallere lumina, virtus.
Sunt ſolido argento, ſunt quas mirabere menſas
Cœlato ſaturas auro: ditiſſima paſſim
Scrinia: ubi formoſa ebeni caligine lucent;
Aut ubi Teſtudo nupſit permiſta Elephanto;
Vulgares ſpernuntur opes. Laus prima lapillis,
Et quibus invideant Orientis littora, gemmis.
Neſcit quid velit aſpectus: dum ſiſtit in uno,
Plura vocant; dum viſa tenent, non viſa queruntur:
Angeris ubertate boni: nimiùmque fruendo,
Non frueris. Suſtolle oculos; dum reſpicis ima,
Summa latent: fatuoſque Joves, ridenda Deorum
Aurato illudit dives dum Fabula gypſo,
Mille oculo Vatum nugas, & ſomnia vendit.
Paſſim, & mentitos præbent Laquearia rerum

Ædium luxus interior.

Pro-

Ex Opticę legibus eximiæ Picturæ.

Proſpectus: lucisque loco ſi devius erras;
Prona ruinoſo procumbunt cuncta labore:
Ordo perit: quę recta, iacent; quæ ſciſſa, cohærent.
Si ſecus arte datum ſortiris lumine centrum;
Ilicet ordo redit: ſtant prona; caduca reſurgunt:
Sparſa, coire vides; male iuncta recedere: inanes
Creſcere in immodicum non moto fornice Moles:
Longiùs ire breves in corpora vera Columnas:
Siſtere non ipſum ſuadet pictura Lacunar;
Et ſolidum, nequeat quò pergere, pergere Tectum.
Poſt decus immenſum; vivis ſine voce Tabellis
Mille artis portenta viden! Quin ipſa fateris
[Aut vocem color, aut habeat vox ipſa colorem]
Viva Virûm ſimulacra loqui. Pars grandibus Aulas
Veſtit imaginibus belli: Heroeſque Sabaudos
Ire vides; bellare Domum, Gentemque moveri.
Parte alia, edocto vetitum ſævire Colori:

Carolus Em. 1. Poetas inſignes, ac Pictores celeberrimos Taurinum accivit.

Mutavit Tabula ingenium. Nec Zeuxidis uvas,
Parrhaſij volucres, Helenas invidit Apellis.
Dux ille armipotens, pacem averſatus inertem,
Blanda adeò ſtudia, & pacis dilexerat artes;
Ut modò non toto Muſas ex Orbe latino,
Sed quotquot genitrix Inſubria, Roma magiſtra
Protogenes aluit, mirandâ mirus in arte

Egregius pictorię Artis cognitor.

Cognitor, & ſolo pretium facturus honore,
Accierit Princeps. Tanto ſub iudice ſæpè
Linea pendebat: tactuſque cupidine laudis
Se ſuperans calamus, quæ non ſperarat ab arte,
Nata opera obſtupuit. Quin ipſi admota Tabellæ,

Regia ſæpe manus, radio quod contigit udo,
Pulcrius exivit. Sed quis non marmora telis
Conferat? Et paria ambobus miracula nolit
Auguſtos debere Lares? par nomen utriſque,
Par pretium: ac duplici duplex Theſaurus in arte eſt.
His tamen impenſis, eſſet quibus hauſtus Hydaſpes,
Divitijs; operum portenta quot inſuper addis
Magne Nepos! Sepelis quantâ lucem undique luce!
Ut varias habet Orbis opes; longiſſima ſe ſe
Non ſecus in latera extendens, infraque, ſupraque,
Reſpondensque ſibi Larium innumerabilis ordo,
Ceu varia in varium partitus climata Mundum,
Muneribus rerum eximijs operumque refulget.
Pulcra voluptatis commercia! Cum Lare mutas
Lætitiam: hæc auro potior pars, altera gemmis;
Hìc Signa Aulæis, illìc Aulæa Figuris
Eripiant laudem: decus inſuperabile iactant
Hác Statuæ; hinc primum emittunt Cryſtalla nitorem,
Hinc Tripodæ, Thalamique. Minùs diviſa ſuperbit
Ubertas: nova ubique novò Conclavia luxu,
Omnia certatim vincuntur, & omnia vincunt.
Quò ſequor? ambitio imprudens,& vana cupido eſt,
Hoc decus auguſti non enarrabile Tecti
Velle oculo, velle aure capi: Sed & irrequietis
Semper iter Zephiris ab utroque patentia Cœlo
Limina permittunt. Auſtros bibit Aula tepentes;
Inde hyemem neſcit: boreales excipit auras;
Hinc domat æſtatem. Sic torridus annus, & iſta,
Cui nihil inclemens, miteſcunt Tempora, in Æde.

Domus, Anni tempeſtatibus per opportuna.

Jam Lare dimenſo,non prętereunda recurrunt Li-

Ornatus interioris Atrij. Buſta Cæſarum.


Limina: Ubi medias quæ ſindunt Atria Sedes,
Et regit, & decorat peregrino è marmore duplex
Ordo columnarum, iunctâ cum robore formâ.
Circum, & Cœſareos ſcalpro debentia vultus
Saxa vides, tantùm hac laudatos arte Nerones.

Villa è regione ſplendido, ac prægrandi ædificio.

Veſtibulis extans Agger ſuccedit, & ampla
Porticus. Adverſis reſplendent culmina Villis:
Quas inter ſublime caput ſpectabilis effert
Machina, Montis honor: CHRISTINÆ nobile quondam
Delicium. Pretioſa quies! operoſa voluptas!
Certandum cum Monte fuit. Manſueſcere iuſſa eſt
Cervix dura iugi, & domiti conſidere Colles.
At quamquam illa diu validâ compreſſit habenâ,
Præcipitaturum Muri conſtantia Montem;
Artis eundo manus frœnum defeſſa remiſit;
Incubuitque iugum: occultis ſimul Unda ruinis
Molitur cæcum exitium. Plorabile Tectum,
Seque mori, & ſua Rura videns, accuſat amorem
Perbrevis illecebræ. Quamquam aggreſſoribus annis
Victa, ſuperbit adhuc, & terret Tempora Moles.

Præ ipſis ędibus Padus amnis.

Hunc Collem, has Ædes interfluit amne quieto
Nobilis Eridanus. Placet illa in flumine tanto
Maieſtas humilis, tacitique modeſtia Regis.
Hìc ego quæ bifido deſcendunt ordine in amnem
Marmora; ſculptarum Scalas comitata Dearum
Corpora, Cryptarum cœcum decus, & cava ſaxo
Balnea, tot Domino ignotas, Ruriſque, Domuſque
Prætercam conſultus opes. Pars maxima Molis
Corpus habet; pars pendet adhuc. Ars territa fugit:
Et deſperato perfregit ſcalpra labore. MONS


Mons calerius


Mons calerius
Depiene f.

MONS CALERIVS.

Vnâ etiam Procerum Villæ, quæ iſtuc iter habentibus prope ſunt in conſpectu, deſcribuntur.

CAlerij decora alta iugi, natasque recenter
Delicias,nova Rura ſequor. Spectabile culmen,
Clara operum facies,Muſarum invitat amorem.
Ite, ubi amœnarum ſurgit regina domorum,
Reginæ Domus Auguſtę. Nec tota voluptas,
Meta voluptatis. Patrijs quæ Mœnibus iſtuc
Scena Viæ! Quæ veſtra oculi Spectacula! Collis — *Regiæ Parentis Delicium.*
Se ſe paſſim aperit, ſemper diverſus eunti.
Quæ iuga dum luſtras, Laribus ſplendentia celſis;
Laſſa indefeſſo reficis veſtigia viſu:
Nec veniſſe minùs, quàm perveniſſe beatum eſt.
Incipit ad lævam primas depoſcere laudes,
Sciſſaque per Sylvam, impatiens haud tota videri,
Scalia Villa; inter ſpiramina frondea viſum
Quærit, & oblonga gradiens clareſcit in umbra. — *Iuxtà viam Verrucæ Comitum Villa.*
Parte ſui meliore latet: latet ordine longo
Conſita nobilium celebrata virore comarum
Carpinus, attonſis callem quæ marginat umbris:
Splendor opacarum latet, & fuga lata Viarum,
Laudandusque dolis, & delectabilis error
Tonſilis ingenium Labyrinthi: Haud traduce cernis
Stagna refuſa Pado, piſcoſo turgida fluctu;
Non fonte inſignes Hortos, non marmore Fontes,
Non decora inſculpti lapidis, non viva figuris
Atria; non lacubus nantum, ripisque volantum

Agmina Cycnorum, mundis argentea plumis.
Quantum eſt, quod volucer iudex, longèque viator
Præterit obtutus! Nemorum tamen ampla virentum
Nobilitas, Laris excelſi ſpectabile Culmen,
Splendidaque incluſi facies adaperta Theatri,
Sat Dominum loquitur: Rurisque in parte pateſcit
Magnæ Gentis honos. Quamquam cura altior illi,
Ornandis, quàm quæ tempus conceſſerit Hortis.
Si non illuſtres in maius adauxit honores;
Veſtrum crimen erit, quæ ſemper Ruribus eſtis
Invidioſæ Aulæ: & Regum mandata potentum,
Atque Virûm virtus culpabilis. Illa latere
Neſcia, ferre capax magnarum pondera rerum,
Otia non ſperet; non longa in Rure quieto
Gaudia. Clarorum effigies, monimentaque Auorum
Conſule; Supremi venient in pace Miniſtri,
Supremique Duces bello: Mentem omnibus unam
Spernentem modica, & nuſquam niſi ſumma petentem;
Vividaque ingenia, atque interrita pectora cernes:
Quos ſpectata fides, & robur ad ardua natum,
Omnia ſummorum per culmina vexit honorum.
Hac fugiente, caput Domus admirabilis effert,
Villa Sangermana. Sangermana Domus. Variarum Scena domorum
Fulgurat. E medio Vallis, conſcendit in altum
Culminis, & Collem irradians illuminat omnem.
Ire amor eſt. Errare libet, divertere paulò
Longiùs, aſpectuque loci propiore beari.
Ducta theatrali per gyrum machina flexu
Nobilibus curis, & raucæ fluctibus Aulę
Lætum

Lætum aperit Domino Portum: Cum pondere magnæ
Feſſus fortunæ, procul à popularibus undis,
Dulcia privatæ ſuſpirat gaudia vitæ.
Ut iuſſum indueret tellus ingrata decorem,
Hìc cogenda fuit. Collis fuit ante domandus.
Ille erat horrendùm præceps; nunc aggere fractus
Multiplici, paſſim admirans nova ſurgere clauſtra,
Subſidet; & crevit conſtrato gloria Clivo.
Namque alias ſuper atque alias, ſuſpenſa gradatim
Explicat areolas tellus. Miraris euntem
Circum per iuga planitiem: quam creber in orbem,
Conveſtit paries loricâ fulgidus albâ;
Et tremulè fulgens clathrorum plurimus ordo:
Multaque conſurgens miniatæ arbuſcula teſtæ:
Ver ubi & Autumnus cum pro diademate certent;
Tot rutilant, quot habent Flora, & Pomona colores.
Quid referam celſo dominantes fornice Xyſtos?
Quid paſſim aerios vibrantia marmora fontes,
Veſtibula, & Speculas, atque Arcus, ductaque circum
Atria? & eximijs Regum Conclavia Avorum
Gaviſa in tabulis redivivam oſtendere Gentem?
Hæc tamen excultæ felix opulentiæ Villæ,
Vincere non ſperet, non longè æquare ſuperbum
Ædibus Halladium; non hortis nobile Frontum:
Quamquam hęc immemores Dominos, aurumq; negatũ,
Poſthabita immeritò, deſertaque Rura querantur.
Necdum tota fugit deſcripti Ruris imago,
Eripiturque oculis; criſtas attollit eundo
Pallavicinus apex. Præcelſæ Molis honorem

Ducta à Longobardis Regibus origo

Aliæ in Halladij ac Fronti Oppidis Ædes, ac Deliciæ.

Excelſum Domini ingenium, non ſurgere vidit;
Quin priùs inſtrato, ne ſterneret omnia, Monte,
Divitibus latè ſpatijs, conſederit ingens
Machina. Lapſurique timenda ignavia Clivi
Obſtat adhuc: Verùm inſurgens circumligat agger
Murorum amplexu valido; Collesque morari
Cogit, & arbitrio Domini ſupponere dorſum.
Ille agitans prompti decus immortale laboris,
Poſtquam opus egregium Tecti, dignasque tuetur
Stare domos, limenque domus prætenta ſub ipſum
Æquora, præclari digniſſima honoribus Horti;
Deſperat ſine aqua fontes, ſine fontibus Hortos.
Non operi, aut opibus parcit. Toto undique Montem
Fontium artificio ac varietate Villa percelebris.
Monte movet: dumque antra cavæ per opaca fodinæ
Semina rimatur, fontanę argentea venę;
Vena ſalit: nativarum theſaurus aquarum.
Inventi latices, & aperta Æraria fontis,
Sunt anima, & pretium Ruri. Nam protinus omnes,
Omne magiſterium docta unda, vocatur in uſus.
Principio collectarum ſparſa agmina aquarum
Neptunus magnę vocat intra clauſtra Lacunę:
Quamplures in fontibus Statuæ.
Marmoreique gerens Sceptrum dotale Tridentis,
Regna Mari in parvo affectat. Subit inde propinqui
Cognita ſobrietas Bacchi. Sedet ille tumentis
Orbe cadi, epotâ palleſcens Saxeus undâ:
Digerere inſuetos miſer, & tolerare liquores
Invalidus, purum revomit non ſordidus imbrem.
Reſpicit hos fontes tergum Laris. Area toto
Longa ubi diſpoſuit Statuas ex ordine muro.

Poſt

Poſt exoſa diem, ſepelit ſe lympha, profundæ
Nocte viæ: cæcoque putas dum gurgite merſam;
Egreditur petulans, mediam ingrediturque per Ædem.
Ipſo in corde domus Fons æſtuat. Ille retentæ
Fons gerit arbitrium pluviæ. Tumida ora relaxans,
Eiaculatus aquas, ultra ardua Tecta ſonorum,
Invito Jove, fert imbrem. Non ſpiritus ulli
Celſior eſt undę: ſequitur ſed iugis euntem
Lapſus, & ex ipſa trahit ambitione ruinam.
Quas non inſidias, fontis per Tecta Magiſter
Undique diſpoſuit! Rimoſo in pariete furtim
Rive lates, taciturne lates: mox tempora nactus,
Protinus undantem poſt terga, inque ora ſagittam
Rive iacis; crebro ſequeriſque laceſſere pulſu.
Neſcia ſimplicitas, imbrem dum vitat, in imbrem
Incidit. Exerrat Tectis, vitreoque flagello
Vapulat; & ridet, ſed vapulat. Undique lympha
Arcubus intentis, liquidis promptiſſima telis
Excubat: incautas quæ nata ferire Puellas,
Has omni Lare perſequitur; iactiſque laceſſit
Frigoribus. Penetrent aulam? pluit aula. Per altas
Evadant Scalas? Scalis ferit imber ab altis.
Limine abire parent? Tenet hoſtis limina rivus.
Tecto abeant? Subiti iaciunt ex Æde feneſtræ
Pondera diluvij. Tranſit mox riſus in iram:
Iram auget iocus, ira iocum. Num perſequar omnes
Naiadum ludos? Ubi luxuriantia vernant
Pro Foribus, longumque ineunt Topiaria curſum;
Metam utramque viæ Fontis nitor æmulus ornat.

Ipſas intra ædes aquarum luſus.

Ad

Nymphæ æthiopis lepidum in Fonte ſimulacrum.

Ad Boream, æthiopis delectat gratia Nymphę.
Nigra timens Solem, tinctæque pericula formæ,
Æſtivam contra tollens umbracula flammam,
Deſuper eiectis umbracula proluit undis;
Explicet attonſis veluti mantilia villis.
Sic illota, ſedens camerati fornice fluctus,
Tingitur haud unquam Phæbo, neq; tangitur imbre;
Quin madida ad ſoles, atque arida ridet ad imbres.
Emicat adverſi cuſtos Nympha altera Fontis,
Semper læta, licet ſemper fleat. Ultimus Hortis
Fons patet in medijs, mediarum in fronte domorum:
Nempe, ubi multicavo de pumice, multiloquus Fons
Carceris ut rumpat violenti tædia, ſe ſe
Mille agit in lapſus; pro libertate ruinam
Sponte petens: non ille labro captivus haberi
Marmoreo: invitis pugnat prorumpere ripis,
Furaturque viam; & fugiendi cæcus amore,
Se fons ipſe fugit: ſed dum fugit, excipit illum
Undique Flora, amplum deducens læta per Hortum.

Splendoris antiquiſſimi Familia, fortuna, & honoribus clariſſima.

Muſa tibi nimiùm indulges. Quis ſuaſit in alta
Ire, viæ immemorem? Præclaræ debita Genti,
Sit venia, & Domino obſequium; qui magnus Avorum,
Laudeque Natorum magnus, Prole æquat in una
Virtutes Maiorum omnes: Aulæque, Togęque,
Militiæque, ſacros etiam complexus honores:
Ut bona multarum numeret Domus una Domorum.
Quem tamen hàc ſpectata tenus, remorataque longâ
Detinuere viâ, Auguſtæ ſpectacula metæ
Ut primùm occurrere oculo; collata videndis,

Vaneſcunt

Vaneſcunt viſa. Oh Tecti decus! Oh decus Horti! *Montis Calerij Villa Regalis.*
Digna Ducum ſedes, & grandibus otia curis!
Pronus ubi moritur Collis; micat ardua Moles,
Reſtituitque iugum. Elatis latus omne coronant
Turribus, in ſpeciem aerij Caſtella Theatri.
At minus eſt, ſuperas, quod Machina iactat in auras;
Quàm quod cœlat humus. Penetratum in viſcera Terræ; *Subterraneæ Ædes ampliſſimæ.*
Et quæſita ligone Domus. Per vulnera Montis,
Ars iterum fecit ſpatium ſibi: perque profundos
Mille lares deſcendit opus: crevitque, labore
Non ſurgente, labor. Placuit quadrata verendi
Forma operis. Pars una, iugo quæ imponit habenam,
Æde vacat: reliquum tria ducti corpora Tecti
Explevere latus. Medias interviret Ædes,
Dives opum Floræ variarum, nobilis Hortus: *Horti, Fontes.*
Quem circum querulis feſtina canalibus unda,
Progeniem ſitientis agri, genus omne colorum,
Provida mater alit, diſpenſans ubera fonte.
Fons de nativi deſcendens vertice Clivi,
Ductus amore loci, vitam poſcentibus hortis;
Sparſit ubi liquidis argentea munera venis,
Luce palam; non ſponte diem, cœlumque repente
Deſerit. In præceps adeó ruit, inque profundæ
Merſus opaca viæ, noctemque meabilis antri;
Ut Lare tranſmiſſo, ſpatia inferiora ſecutus,
Erumpat procul, & generoſior aſtra reviſat:
Quòque vias humiles deiectior unda cucurrit; *Pro ædium facie, ex amplo cratere Fons in ſublime ſaliens.*
Celſior exurgens, volucri rapit æthera fluctu;
Regia quin etiam qui primùm in Rura modeſtus,

Venerat, ingentes animos edoctus in Aula;
Cum ſonitu petit alta latex: cumque Ædibus ipſis,
Flumine contendens, ſe iam ſublimibus Aulis
Obſtupet aſcendiſſe parem. Feliciter aude,
Quos imiteris habes, fortunatiſſime aquarum
Rivule. Virtutem patria virtute ſabaudam
Priſcum Symbolum ac lemma gentilitium. Imbibe:Sunt grandes utrique AB ORIGINE NISUS.
His animis capere aſtra potes. Dum gutture cœco
Sorbetur, vomiturque; lacum Cratere capaci
Excipit alba ſilex, parijs clariſſima ſignis.
Unde agiles lymphæ ſua per tormenta iubentur
Ludere. Semiferum ſcatebroſo in pumice monſtrum,
Fonte ſedens medio, iaculatur penſile flumen:
Dumque petit nubes, lapſuque procella ſonoro
Dum redit, & vitreis in ſtagna relabitur alis;
Splendida feſtivos ciet inter verbera queſtus.
At quò nolentem rapis unda? Recurrite, & Hortis
Voluptaria ad Horti caput Sylvula. Reddite me Fontes. Horto confinia dicit
Lucus, & excultæ pubeſcens gratia ſylvæ:
Quæ ſatis umbrandis ſi nondum frondeat arvis,
Condonate moras: inopi modo crinis & umbræ,
Advenient cum crine umbræ, cum tempore crines.
Ad latera Hortorum, ſtupeas hinc inde Lacunar
Immenſum: ſeròque repertâ excurrere metâ,
Porticibus longis vaſtę laquearia Cellę.
Cryptoporticus abducendis per hyemem Citris, ac floribus. Urere humum glacies, & Flora timere Decembrem
Incipit? Huc profugo promiſit Crypta fidele
Perfugium Veri. Quum triſtia tempora Citrus
Sentit adeſſe; fugit campis, & mobilis Hortus

Clauſtra

Clauſtra ſubit; vernantque Lares, algentibus Arvis.

Regiæ Stabula.

Parte alia ſtabulantur equi; tantisque beatum
Ædibus Armentum, quòd patria littora liquit,
Fit decus exilium; Dominoque, Domoque ſuperbit.
Sublimem quis deinde Larem, eximioque paratu
Tot ſuccedentes deſcripſerit Ædibus Ædes,
Quas oculo mora longa ſequi? Luxumque, decoremq;

In medio conſtructior, & apparati or Domus.

Expletasque trabes auro, pretiumque ſepultum?
Quas & Belga vigil, Phrygięque Ancilla Minervę
Fecit opes, regale trahens per fila metallum,
Captivum quod ducit acu; tum corpora mille
Imprimit, ac vivas efformant vulnera gentes?
Phidiacas quid ego memorem, quid Mentoris artes?
Clara quid Heroum ſpirantibus arte figuris
Atria? Quid Regum numeroſum in pariete vulgus?
Belligerasque Ducum Tabulas, quibus undique fulgent,
Dignę non fictis habitari Regibus Aulę?
Quid referam, quę Scena loci; quàm lęta cupido,

Proſpectus in remota liber ac peramænus

Quantaque libertas, oculo longinqua potiri;
Pinxit ubi varij ſpeciem Natura Theatri?
In primis opulenta Ceres confinia neſcit
Imperij: quà clara amnis, clariſſima fontis
Irradiat facies, quá prati viva voluptas;
Quà tollunt Nemora alta caput, bellumque ſonorum,
Et vana in vacuos ſpargunt conamina ventos.
Ad boreale latus, laudata cacumina Baccho,
Longo in Colle virent. Ridet generoſus in omni
Rure pater: Villæque Urbem ſparſere frequentes.
Parte alia, qua pendet ager, Domus imperat Urbi;

Quæ

Quæ Lare, Cive frequens, & priſco nobilis ævo,
Dives opum, ſplendorem Urbis cum nomine ſervat:
Quæ cladem hanc meritæ, Teſtonæ evecta ruinis,
Victoris THOMÆ viget immortale Trophæum.

Civitas Montis Calerij, ampliata poſt excidium Teſtonæ, quam expugnatam diruit Thomas Dux Sab.

Lentus ad occaſum graditur, clarusque modeſta
Maieſtate Padus: mitique, ac ſupplice fluctu
Diſſimulat Regem. Namq; ægrum flumine pontem
Auferat, & curſu victor reſpiret aperto,
Continuò in magni feſtinans creſcere famam
Nominis, & dignas Phaetontis honoribus undas;
Ni memor, & ſe ſe famulum confeſſus, habenas
Accipiat, ripisque fidem iurarit amatis.

Sub ipſis ædibus leniter fluens Padus Amnis.

Tempore quamquam illo, quo CAROLVS ultima vixit,
Imbribus epotis, liquefactis Alpe pruinis,
Erupit furibundus aquis: amnesque minores,
Omniaque Eridanum fecit. Fruſtrà Adria clamat
Expectans: hìc noſtra ſuum Mare Flumina habebant:
Nec quærens aliud, niſi quod ſibi fecerat æquor,
Hìc Padus, hìc Domino tumulum moriente volebat.

Quo anno Car. Emmanuel. II. vita deceſſit Padus ſeverè inundavit

Quin etiam inſanos Taurina in Mœnia fluctus
Vidimus intorſiſſe: undarumque ariete pulſis,
Intraviſſe Urbem aggeribus. Mirabile dictu!
Aulam, Aulam petit; & queribundis eiulat undis:
Obſeſſasque tenens refluis plangoribus Ædes,
Obſtinat in murum fluctus: glomeratur aquæ Vis,
Nec ceſſat; magnâ donec ſua damna ruinâ
Aggerat: Intremuere domus, ceciditque ſuperba
Porticus, & lato patefacta eſt Regia Cœlo.

Imbrium ac fluminis eluvione Porticus Regij Palatij dilapſa eſt.

Has adeô in furias aſtris iratus iniquis

Arſerat

Arſerat Eridanus. Vos ò phaetontia circum
Littora, populea umbratis quæ fronde Sorores,
In lachrymas iterum ramos fluxiſſe comantes, *Phaetontis Sorores in Populos hìc converſæ*
Succineosque ferunt roraſſe in flumina fletus,
Naiadum ſi tuta fides; ſi vera canebant
Eridano. Ille nihil fatis licuiſſe putarat,
Ex quo ſecuram toties præſente periclo
Viderat hanc Animam. Vos conſcia flumina teſtor,
Vos Nymphæ. Meminiſtis enim, cum fervidus olim *Eiuſdem Car. Em. notiſſimum vitæ diſcrimen in Pado.*
Venatu, rapidi premeret veſtigia Cervi;
Dum tenet hic iam iam Victor, ſe ſe ille ruinâ
Adiuvat: intrepidusque metu, quà margine flumen
Præcipiti ſubit, immiſſo ſaltu arripit undam. *Cervus in Amnem.*
Deſertum ripis Equitem, timida ora reflectens
Dum putat; hic veniens fumantem ſpargit in undas *Cum Cervo pariter ipſe Dux.*
Alipedem. Sonuere undæ; fluviumque, feramque
Fit ſuper; undoſoque vado micat altus habenis.
Vincit aquas animo: curſu vada rumpere certat;
Rupit, habet ripas, convertitur, exerit arma
Impiger; inde viam occludens Cervi occupat ora:
Qui miſer, & ſi non telo, formidine teli
Saucius, orantes oculos in Principe figit.
Dumque videt nil poſſe fugâ, redit amne remenſo;
Inſtat equus: mox obtentæ in faſtigia ripæ
Collectus vibrat ſe ſe, pugnatque potiri;
Sed ſumma arrectus, pulſusque crepidine, crura *Equus in Fluvium relapſus.*
In tergum revoluta, altè reſupinat in amnem:
Fit fragor, & ruptus tremefecit littora fluctus:
Surgit equus, fundo Seſſor deſertus in imo eſt.

 Aſt

Dux in fluvium demerſus, nando evaſit

Aſt ſua non illum virtus, nec ſe ille morando
Deſerit. Ecce Virum! Non enſis, non gravis auro
Balteus, aut lateri fulgens argentea zona,
Non clamys, & torto venatica buccina cornu
Impediunt: natat ille, natat; raptumque fluento
Per vada rupta manu, fugientia lora prehendens,
Vorticibus detorquet equum. Stupuere relicti
Tam ſubitò fluctus: & iam vix Arva volantem
Videre; ipſe volans neque ſe cognoſcit euntem.
Clarior illa fuit memorandi lucta pericli

Celebrius aliud in Pado periculum, & ingentis animi incredibile experimentum.

[Vos iterum Nymphę, vos teſtes fluminis undæ]
Cum lectos inter Proceres, floremque Iuventæ,
Caræ in conſpectu Genitricis, vividus acri
Lętitia, effulgens auro, criſtisque decorus,
Inſignì dum pulcher equo, lucentia torquet
Fręna ſciens; iamque ille datis effuſus habenis,

Princeps equitans.

Corripit arva volans; idemque reducta, frementi
Lora quatit, ſubigitque feroces rumpere curſus;
Nunc cęſim tenuat veſtigia, initque citatas
Arte moras, gradibusque movetur, & hęret in ijſdem;
Inque vicem modò directo ſe tradere curſu,
Nunc ſinuare fugas, mollesque iterare recurſus

In Aquæductum de repente prolapſus

Gaudet, & ęquales alternat in aera ſaltus;
Furtum improviſum, cęcus telluris hiatus
Carpit equum. Cita curre Parens, Natum atra vorago
Glutijt. Heu! rapitur, rapitur! Cita conflue turba:
Confluit. Indeprenſus opaco gutture gurges
Occluſis fremit altus aquis. Nuſquam ille videri,
Audirive: nec hinnit equus, nec clamitat Heros.

Præceps

Prȩceps horriſona, tetraque voragine vortex
Abripuit miſerum, traxitque innabilis ȩſtus.
Heù! quid agant? Subit Eridanum quà concita lentum
Duria, deferri cȩcos meminere meatus.
Huc volitant. Quinam ille dies! quo percita planctu
Regia! Qui luctus longum inſonuere per amnem!

Subterraneus Aquæductus in Duriam, inde in Padum defluens.

Mox ubi deventum ad fauces, littusque malignum;
Triſtiaque inuiſȩ patuerunt ora cavernȩ;
Pars riget expectans, viſura, videre quod odit;
Pars haſtis vada pertentans, explorat, opacus
Exit ubi undiſono deſpumans vortice gurges:
Suadent hi loca perfodere, atque effringere latè
Viſcera foſſarum, ſaltemque haurire cadaver:
Hi repetunt Urbem flentes: At iam Urbe revulſa,
Effuſi Tectis, effuſi Mœnibus, omnis
Nobilitas, Populusque ruunt. Rumpuntur amore,
Mæſtitiâque furunt, plangentiaque agmina denſant
Littoribus. Prima expaſſis ùt venerat ulnis,
Stabat anhela Parens, caſu excita, & obruta tanto
Infelix! Domus, Urbs, Regnum, orba Sabaudia, in ipſis
Omnia ſunt oculis. Natumque miſerrima, Seque,
Et fluvium incuſans, inconſolabile luget.

Regij Unigeniti Parens Chriſtiana à Fran.

Continuò flentum magis increbreſcere murmur.
Dum mage crudeſcunt luctus, dum ſydera clamor
Immenſus ferit, & votis ſpes aufugit omnis;
Ecce palam Princeps! Latebroſo gutture in amnem
Emicat. Eſt ille, eſt Princeps. Ceu ſomnia ludant,
Ilicet obriguere: dein bacchantur ovantes,
Lætitiaque, & amore ruunt. Amor omnia nimbo

Con-

Conglobat. Hi ſummâ venienti occurrere ripâ,
Hi dare ſe fluvio, primique attollere certant
Gurgitibus. Vetat ille, movens generoſa per amnem
Bracchia; terribilis ſecat alta fluenta natator,
Iam dominus ripæ. Non ſi redivivus in auras
Merſerit, exultare magis. Se ſe agmina denſant,
Viſendi ſtudio: iam nec vis ulla Parentem
Detinet: in medios venit, & Nati ora recepti
Procumbit ſuper, atque hæret, lachymansque, fruensque.
Ille madens amni, & maculosâ pinguis arenâ,
Sic quoque pulcher erat. Virtus accenſa decorem
Auxerat, & facies nondum ſibi certa pericli:
Quæ Populi ridet lachrymas, vanosque timores
Caſtigat blandè, & viles de Principe ſenſus.
Frange miſer calamos, vigilataque carmina Vates
Dele, & victuras victuro Principe chartas.
Ille animus victor fati, maiorque periclis,
Illa ignara mori virtus, voluentibus Aſtris,
In medio rerum quantarum abrupta reliquit
Omnia! Proh qualem veniam divine mereris
Eridane! Et nimis hunc Populis Elementa dolorem
Portendère diu. Nimbi, Mare, flumina, Venti,
Exceſſere modum. Quis non ſine legibus illum
Ire annum, inque Chaos rediturum exhorruit Orbem?
Optima ſed quando, nec quæ melioribus annis
Invideat, ſpes Imperij, & fortuna revixit;
Rex Pade, noſce Padi Reges. Hìc fræna capeſſe;
Hos reverere locos. Quis te decor additus ornet,
Ipſe tibi oſtendis. Tremulas in Flumine picto
Cerne

Mortem Principis non modò Padi inundatio, ſed fædæ ubiq; eluviones, ac tempeſtates præceſſerunt.

Cerne Domos. Quali æternùm radiabus in umbra!
Sed Regina, Tuæ ſunt hæc ſunt otia Dextræ;
Et laudem hanc, etiam in laudum numerare minorum
Parte pudet. Latè crudi mala gloria belli
Implicuit Populos; Europa in ſanguine tota eſt.
Arma Mare, arma fremit Tellus. Pax ipſa, furendi
Induit ingenium: delator fœderis Anglus,
In bello eſt: Batauus, Teuton, de pace locuti
Martem agitant: Moſam Galli, Rhenumq; cruentant.
Sed mala trans Alpes ſunt omnia: Pace tueris
Italiam. Magni gradiens ſuper alta Mariti
Conſilia, & leges, & opes, munimina Regni
Conſtituis. Mater Populorum, triſtibus obſtans
Temporibus, vincis fatum, & mala corrigis anni.
Tellure invita, Cœloque benigna maligno,
Morbosque, horribilemque famem de Finibus arces:
Dumque ruunt alibi, ſternunturque Oppida ferro;
Te fundantem Arces Mundus miratur, & Urbes:
Miratur florere Artes, commercia Vulgi,
Nobilium ſtudia, & nullos non Pacis honores.
Quid ſupereſt Votis? Ut mente, ùt pectore reddis
Ipſa Virum; Veniens referat Te Regius Hæres;
Et Patrem, Matremque, Orbis cognoſcat in Illo.

Joannæ Mar. Baptiſtæ Regiæ Duciſſæ Delicium, ab Ipſa conſtructum.

Hi erant tùm temporis Europæ motus.

Regiæ providentiæ, & magnificentiæ opera.

VILLA TRANSPADANA

Olim LVDOVICÆ à SAB. REGIÆ SORORIS Delicium.

MVſa Padum ſequere : invitat nova gloria pulcri
Littoris. Hìc ubi turrigeris ſe maxima Tectis
Attollens, propiore iugo Domus imperat Urbi;
Hìc amor Allobrogum, maternarum æmula laudum,
Filia CHRISTINAE, curis iucunda locavit
Exilia. Ite Deæ, callemque oſtendite eunti.
Pons ubi marmoreâ luctantem frænat habenâ
Eridanum nondum Regem; & prohibentibus undis
Nequidquam, præbens Populo commercia Ruris,
Porrigit hinc Urbi Colles, hinc Collibus Urbem;
Pontis in occurſum, recto ſe ſe ordine, utrinque
Diſtribuunt frondoſæ acies, atque otia longa
Ulmorum: ingentique via, te Vallis in altum
Adducunt Zephiri comites, umbræque virentes.
Mollis in alta via eſt: Quò non aſcendere ſentis,
Aſcendiſſe vides: docta eſt miteſcere Clivi
Ambitio; Seque ad Dominæ componere mores.
Haud procul ad mediam vallem, Splendentia Tecta
Deſcendunt oculis venientibus. Ardua Moles,
Collis in invidiam, tria per faſtigia ſurgens,
Ambitioſa fugit Vallem, & ſe Montibus æquat.
Sunt Foribus primæ laudes: lux marmoris albet
Eminus, & tremulus clathris intermicat aer.
Juncti, diſſociant ſe ſe; dein limine in alto,
In ſe iterum rediere gradus; Fontemque coronant.

Chriſtiana Henrici IV. Galliarum Regis filia Sereniſſimæ Ludovicæ Mater

Umbrifer ad Villam aſcenſus.


Anterioris ædificij facies

Po-



us ,
in
pe-

tera
er-


Villa Ludouica

Pumiceo ſedet in ſcopulo de marmore Siren,
Et volucres iterat pluvias, liquidumque per auras
Continuat carmen. Maculoſis nixa columnis
Ante, ſupraque Fores, Statio ſuperimminet: unde
Se ſe oculus latè dominum videt. Æquor apertum
Poſſidet: hàc viridi lucentia prata nitore,
Hàc ſibi fidentem contra Euri prælia Sylvam,
Quà Cerere inſignes agros, quá rura Lyæo
Ebria, quà varijs varium natalibus amnem
Proſpicis. Ipſa procul non eſt inamabilis Alpes:
Eſt ſua lux hyemi, ridetque argenteus horror;
Et Pedemontis opes, Alpis penuria laudat.

Peramoenus, & patens in remota proſpectus.

Area præ Foribus longo fluit æquore: in orbem
Ductus hiat Crater. nuſquam ſalit impetus undæ
Proſperiore auſu; nullis par fluctibus ardor.
Flumina ſe Cœlo vibrare volucria cernas,
Pendentesque diu nulla inter nubila nimbos.
Aut Cœlum pluviæ repetunt; aut Icarus alter
Surgit aquis; ſive Eridano redivivus in auras
It Phaeton; ſpargitque undam, quem pœnitet ignis;
Seu Fratres rupere fidem, & ſe cum Jove miſcet
Neptunus: tanta eſt animoſæ inſania lymphæ.
Manſueto inde lacu, iuſsâque ſilere procellâ
Ætatis piſcem variæ per vitrea nando
Ire vides: iniecta Ceres, quem flumine ſummo
Evocat; aut taciti dulcis dolus allicit hami.

luſus piſcoſi Fontis.

A dextra, lævaque, minor ne ludat in hortis,
Ars dedit ingenium Myrto: quam vulnere docto
Inſequitur tondens intenta forcipe Cultor.

Hortenſes Areolæ ad Ædium latera vulgo Parterre.

Supplicio formam acquirit patientia Myrti·
Luxuriam namque illa comæ correcta magiſtris
Ictibus,atque brevem ſylvam circum undiq; ducens,
Induit innumeras, quas vult induſtria, formas.
Sylva Atlantiacis circum pulcherrima malis,
Frugifera, auricomo nunquam ſine flore; nec unquam
Citrorum ordines. Florida, quin fructu maturum effulgeat aurum;
Sepit odoriferos frondenti margine calles.
Si ruit adverſa Boreas populator ab Alpe,
Bacchaturque ferens hyemem glacialibus alis;
Cryptoporticus Citris ac floribus hyeme ſubducendis. Cuſtos auriferæ Domus eſt accommoda Sylvæ:
Se ſtupet in medijs ubi Ver portatile Tectis;
Ridet & excluſam Pomona domeſtica brumam.
Cum deformis hyems alta nive conderet Urbem,
Prodijt hinc quoties invito Flora Decembre;
Vernaque in algentes Viridaria protulit Aulas!
Rex improviſi correptus fraude Vireti
Ipſe ſuis oculis vix credidit: Ipſaque Tecta
Regijs in Convivijs Hyemales florum apparatus. Amiſiſſe putans, Ædem quæſivit in Æde:
Florida inexpletos, ducensque per Atria viſus,
Prætulit artificem Menſis Regalibus Hyblam.
Quatuor adverſas Cœli quibus aſpicit oras,
Educit totidem pictas ad ſydera frontes;
Ampla Domi facies. Faciem Domus intima vincit;
Palatij ornatus interior lautus, ac decorus. Quam Pictor varia præſtantibus arte tabellis,
Indus divitijs, & Belga laboribus ornat.
Fuderit hic quamvis damnatam prodigus auri
Luxus avaritiam; atque ardor compreſſus habendi,
Quidquid magnifici petijt ſplendoris ad uſum,
Virtuti

Virtuti dederit; Tyrijs contendere flammis,
Illuſisque auro trabibus, non priſca veretur
Simplicitas. Picto nulla olim in pariete circum
Fabula pendebat: Siculæ, Argivæque puellæ,
Haud alios raptus forma prodente timebant.
Neſcia mentiri, ſincero pingere fuco
Noverat Ars; oculoque fidem præbente colori,
Regnorum, Ætatumque vices pictura docebat.
Quippe coronatos quot celant Secula Reges,
Actarum retrò longinqua oblivia rerum,
Damna vetuſtatis, cuncta abripientibus annis,
Reſtituens color, hiſtoriam Simulacra tacentem
Totâ diſpoſitis appenderat Æde tabellis.
Poſt Patriæ alternos luctus, cognataque bella,
Fœdere compoſitas Thalamis ſocialibus iras;
Fluctibus hìc portum, invicto cum Fratre locarat
Ille ſui quondam Mœcenas creditus ævi,
Nobilis obtento, poſito MAURITIUS oſtro
Nobilior. [ſacrorum apicem devovit honorum
Pacis amans] luſtrans oculis, animoque potitus,
Secla pererrabat memorans; & proxima lapſis
Tempora componens, Fortunæ ſpernere iniquas
Diſcebat virtute vices, & vincere Fatum.

Nunc tabellares imagines, olim cronologicæ Picturæ.

Pactis cum Sereniſſima Ludovica nuptijs, compoſito civili bello has Ædes primó condidit Princ. Mauritius, antea Cardinalis. Princ. Thomę à Sab. Frater

Terga Domus niveis hilarat decorata columnis
Porticus. Hanc contra reſerat lunata theatrum
Area, muſivo Murum variata labore.
Hìc medio cratere rigens, & honeſtus Adonis,
Vulnere non ſolito iacularis miſſile frigus;
Perſequerisque tuos ignes hoſtilibus undis:

Poſterioris Ædificij ſpecies.

 Quippe

Quippe nives thalami, Veneriſque oblivia noſti.

Utrinque Voluptariæ ac peramplæ ambulationes.

Pandit utrumque latus porrecti bracchia muri,
Prætexti aſſidua lauro: nec tramite avaro
Area procurrit refluenti pervia Cœlo:
Unde leves hyemes, æſtivaque frigora captes.
Altius exſupera: non expectata beabit
Planities oculum, florumque inopina ſupellex.
Ars domuit clivum, iuſſique reſidere Montes.

Hortus Florum.

Hìc ſeu fictilibus Ver cuſtoditur in urnis;
Sugere Regalis ſeu mavult ubera Terrę;
Omnis odoriferi conſpirat gloria Regni.
Sparſa per areolas, neque ſimplice perlita fuco
Flora nitet. Quà pallenti ſe lilia monſtrant
In Solio: unius quà pompa breviſſima lucis
Feſtinat roſa pulcra mori: quà mæſta hyacintum
Lux operit, ſquallorque recens à funere priſco:
Pæonis hìc inhoneſta, genas ſuffuſa rubore,
Phœbeum confeſſa nefas; & ſtultus amator
Narciſſus; gręcisque hoſpes Cyclaminus ab oris;
Tulipa, cui famę pretium genus omne colorum
Fecere, & maculę grandes; & Cariophyllus
Corpore formoſus lacero; guttataque pulcris
Granadilla focis; millenique Orbe petiti
Longinquo flores, aliena prole novercam
Nobilitant: turget tellus, ſua furtaque iactat.
Hoc decus eſt Horti; puros cui provida Tethys
Diſpenſat fontes. Circum haud ceſſura coercent
Inſtratumq; domant decorantia marmora Montem.
Deſuper inde aliæ, atque alię, lunantur in orbem

Per

Per declive iugum, virides, & divite preſſę
Autumno arboreæ ſoboles: quas ducta ſupernè
Semita frondentis diſcriminat obice Septi.
Hìc ſua poma videt Medus, ſua pruna Damaſcus:
Hic et adoptivos ramis imponere ramos
Iucundus labor: Hiſpanam fert Itala ficum
Arbor, & adiectâ ceraſo fit adultera Pomus.
Sæpe eadem flavamque Pyrum, flavamque Cydonim
Stirps alit, & ſimili carpentem decipit auro.
Hoc potuere artes. Nec humi lucentia Fraga
Diſpliceant, vultum minio fucata modeſto:
Quique ſalutiferas exhalat Amaracus auras.

Superni Ruris forma, & Pomarium.

Quæſitus tamen arte decor, reperitur in undis
Gratior. Occultis it cæca canalibus unda,
Feſtinatque videre diem: mox libera Cœlum
Corripit; exultantque rotati gutture fluctus.
Hìc Cryptæ, hìc queruli cameris pluvialibus imbres,
Captivique lacus, & aquarum ludicra mille,
Continuata ſecant omnem iuſto ordine Clivum:
Donec, ubi tandem morituro Rure triumphat
Argutum, Clivo iam vaneſcente cacumen;
Quadrifido geminę ferientes Æthera cono,
Delicijs Non plùs ultra poſuere Columnæ.

Aquarum ſalientium crebri fontes.

Terminus Ruris.

Muſa ſuburbanum nondum obliviſcere Collem:
Dirige in alta gradum: claris ubi culmina Villis
Reſplendent; vbi Taurino poſt terga remoto,
Extra Urbem invenies Urbem. Te in Rura ſecutam
Credideris Patriam. Sylvâ, Lare, Cive frequenti
Dum ſtrepit omne iugum; ſocio placuere tumultu

Finitimæ, ac Suburbanæ Tranſpadum Villæ.

Otia

Otia: Viva quies, & ab omni parte voluptas
Autumnos hilares, menſesque dedere beatos.
Hoc Cœlum, hos Colles, hęc arva, hęc flumina amabant;
Iſta Subalpini facies peramœna Theatri
Invidiam induxit, patrijque oblivia Cœli;
Mœnia cum primùm ſpreto Taurina Canopo,
Conderet Eridanus: ſeu bello victor etruſco,
His Belloveſus cùm tela reponeret arvis:
Aut etiam magnæ paſſus cùm tædia Romæ
Auguſtus, vitijsque ſuæ mœſtiſſimus Aulæ,
Hìc dignam ipſe ſui molitus nominis Urbem;
Gauderet mutare Pado cum flumine Tybrim.
His quoque delicijs, hac dulcis imagine Regni
Captus eras, cùm te Solijs Odoacer avitis,
Ticinum hæc olim præponere Regna doleret;
Hìc caput, hìc Italûm Sedem decernere Regum.
Huc ego ſi celſas ducam te Muſa per ædes,
Dulce iter, at longum. Cunctis è Ruribus unum,
Præterijſſe nefas; ubi Cœlo ſacra iuventus,
Interdum vacuis iuſſa indulgere diebus;
Læta fatigatæ reſtaurat damna Minervæ.
Non hìc Cellarum ordinibus prænobile Tectum,
Non mite ingenium Cœli, non Ruris honorem,
(Da veniam Phœbe, invitat locus, incitat œſtrum)
Unius ingenuam ludi mirabimur artem.
Namq; etiam hæc vidiſſe ferunt te Rura frequentem
Mauriti: inque ipſis miratum ſeria ludis,
Erectasque Polo mentes; Solatia mixta
Delicijs Superum; morum dulcedine captum,

Taurinum olim, ac perſæpe Regum ſedes.

Auguſta Taurinorum ab Auguſto.

Villa proxima

Maioris globi ludus iudicularis.

Iſtuc ſolitus divertere Princ. Mauritius á Sab. Cherienſis Domus fundator, ubi extremam ætatem magna ex parte tranſegit.

Hinc

Hinc coluiſſe Viros, hinc decreviſſe relictum
Grande ſui Cherio Monumentum,& pignus amoris;
Plus tamen emeritæ pretioſa exempla ſenectæ.
Ædes ante ipſas iacet Area: graminis auſa
Ferre nihil; poſtquam illa oneris molimine magni
Caſtigata diu, luxum dediſcere iuſſa,
Servat avaritiam, & ſolido fert verbera tergo.
Hàc etenim grandes, buxique volubilis orbes
Ire, redire vides; qui ſe ſe in mutua poſcunt
Verbera, & ad bellum totâ inſectantur arenâ;
Ulturi horribiles alternis ictibus ictus.
Finge tibi longæ ſpatium ſublime paleſtræ,
Unde oculus latè florentibus imperat arvis.
In medio bipatens, & in orbem ductile ferrum,
Defixumque Solo. Quantùm globus intret adactus,
Parte ab utraque patent penetrabilis ora metalli.
Huc penetrare labor: ſive huc penetrare paranti,
Laus inhibere viam, totoque repellere campo:
Seu falſos aditus, fugiendaque pandere ferri
Oſtia: namque alter victis, victoribus alter
Exitus; & fauſtæ ſignantur ſydere Portæ.
Huc ego cum ſtudijs agerer iuvenilibus olim,
Spectatorque frequens pugnæ, cenſorque ſederem;
Quæ genera Heroum, manuumque examina vidi!
Ante alios Par grande Virûm tum fama canebat,
Et canit in præſens, nullaque ætate ſilebit:
Quorum alter magnum ttans Baltica littora quondam
Miſſus in imperium, ſpeciem mentitus amictu,
Cœleſtemque gerens Equitis ſub nomine Martem,

Ludi Stadium.

In Stadij centro, grandis, ac verſatilis ferreus Annulus.

Annuli oſtium ritè capiendum.

P. Fr. Mal.

Roma

Roma tibi Arctoæ Reginam ſubdidit Aulæ;
Grande decus Superis. Solio Chriſtina relicto
Altior, & Regnum fugiens, Regina & Amazon,
Svecorum Regina Adulphi Guſtavi Filia. Per patrias lauros, calcataque Sceptra, triumpho
Fecit iter ſancto. Goticos hæc una furores,
Terroresque Italûm, & rigidæ veſtigia gentis
Delevit meliore via. Borealibus Urſis
Parcimus: hanc veniam Guſtavi bella merentur:
Una tot infenſos compenſat Fœmina Reges.
Alter ad Eoi raptus confinia Mundi,
P. Alex. Cic. Nunc tonat in Sinas, & ſacris fulminat armis;
Circumfertque Deum Populis, Fontemque Salutis
Trans Maria: atque alium Solem cæco invehit Orbi.
Hos igitur certaſſe pares, licet impare in ævo
Cùm memini; rediere manus, Vultusque Virorum,
Ludicrum duellum. Atque animo redit ipſa dies. Prior ille, ſenectâ
Jam gravior, prudensque metu, diſpenſat avarè
Bracchia: metitur ſe ſe, nec proijcit ictus:
Conſilium pro robore habet. Sed prodigus alter,
Effuſusque ſui, & fretus florente iuventa,
Viribus invictus, totâ dominatur arenâ.
Cuncta poteſt, quia poſſe putat. Quum nixus in haſtam
Fulminat, exonerat ſe totum; viſaque longè
Audiri Tormenta: manum ſonus ille fatetur;
Et percuſſorem percuſſa Cacumina norunt.
Non mora, non requies. Quoties globus æmulus Æra
Obſidet, & furtim inſidijs capere oſtia tentat;
Plagifer horrificus repetito verbere ſævit:
Et vetitæ delicta moræ, per verbera punit,

Ille

Ille Solum querulo percurrens murmure, longè
Aufugit: attonituſque, globo ceu luſor in icto
Vapulet, obriguit; ſortemque & vulnus euntis
Inſequitur miſerans oculis, ſtudioque medendi.
Cautior inde redit, notæ formidine plagæ;
Rimaturque omnem latebram, & pars tuta periclo
Si qua latet: Sed ubique inſtat crudele flagellum;
Atque implacatæ tergo tonat impetus haſtæ.
Sæpe hic extremis abſente in finibus hoſte,
Irrita longinqui riſit conamina teli;
Sed nulla eſt fortuna loci. Spes credula fallit
Dum procul impavidum; venit ille, orbemque potitus
Luminibus, caveat, dixit, ſibi quiſquis ab iſto
Ariete: commonitæ tenuere ſilentia turbæ:
Et ſibi plauſurum ſuſpenſis plauſibus ictum
Arrecti expectant; avidisque obtutibus hærent.
Vicerunt promiſſa fidem. Vis ponderis acti
Ultrà vota fuit. Totam inſumpſiſſe iuventam
Dixeris, intorto tantis cum viribus ictu.
Quò iaculator agit, quò dextera cogitet, ante
Quàm teneat, tenuiſſe vides: it miſſile pondus,
Eminus oſtendens ſpem verberis; ilicet ingens
Increpuit fragor: icta abies inimica cucurrit
Cum gemitu: Virtus hoſtis tranſivit in hoſtem:
Nam pila conceptas iras, & barbara dextræ
Vota ferens, ubi adepta locum; ſimul impete facto
Reſtitit, & voti compos, ſecura quievit,
Præcipitem ſiſtens animam: ſecus æmula fugit;
Induit & celeres, quas exuit altera, pennas.

Non tamen icta frequens, pugnandi amittit amorem.
Urget honor palmæ: multo quam verbere emendam
Prænovit; pretiumque facit labor ipſe labori.
Armillam obſidendi, Spernitur in facili virtus: artemque periclum
Inſtruit. Ille acuit vires; hic innovat artes.
Nunc trabe confidens, medij nunc obice ferri,
Nunc iuncti auxilio muri, protectus ab ictu,
Vulnera reſtaurat: lentis progreſſibus hoſtem
Decipit. Hinc tenui ſi limina pervia filo
Detexit longè, exiguos non fallit hiatus:
Certa ſecans iter anguſtum, fatale foramen
Eamque traijciendi ars & peritia. Accipit; & Porta ingrediens nolente triumphat.
Quin etiam infenſum ſpatio propiore Sodalem,
Obſtantem votis ſi viderit; exerit arma;
Nil Senio parcit. Nec ùt alter fulminat heros;
Debiliùs pulſat, ſed iuſtiùs: irrita temnens,
Utile verber amat. Sic vis non reſtitit arti;
Atque iuventutem ſuperavit cauta Senectus.
Illico Victori viridi Chorus omnis ab umbra
Conſurgit: virides umbræ fecere Coronam
Arboribus; deſitque ſuo ne turba theatro,
Longa ſub umbriferis duxere Sedilia plantis.
Optimus ergo Senex iſtis cùm vinceret armis,
Turba coronabat Victorem: eiusque triumphus,
Noſter erat; Victoris amor, non Victor ovabat.
Rumpe miſer fletus, & deſere fræna dolori;
Optimi Senis elogium. Triſtes dà calamo lachrymas pro carmine Vates.
Ingens illa Viri virtus, flos ille pudoris,
Illa fides, illud pectus, mens illa ſciendi

Cuncta

Cuncta capax, immenſa ſciens; Vir candidus ille,
Ille tuus, morbi inſidijs ſublatus iniqui,
Has viduas quercus, orbataque Rura reliquit.
Flete Viri memores umbræ, & quas flumina propter
Eridani, extincto quondam pro Fratre dediſtis,
Huic modò Populeæ lachrymas ſervate Sorores;
Et Phaetontæum ſuperet dolor iſte dolorem.
Regius iſta Senex interdum bella fovebat
Ipſe etiam; docto iuſta intervalla labori:
Princeps hilari hac innocentia lætabundus.
Falſaque deſpiciens, & amaro perlita felle
Gaudia, corruptos angorum aſpergine riſus;
Hìc ſuus, hìc rabidis furatus pectora curis,
Candida libabat puro ſolatia Fonte.
Hanc mentem, hæc vitæ faſtidia celſa ſuperbæ
Haudquaquam invideat virtutum Coniugis hæres;
In Sereniſſima Uxore virtutes ſimillimæ.
Quam placidos altis animis componere mores
Admirata colit, venerataque diligit Aula:
Suſpiciens veram effigiem, normamque Sabaudæ
Indolis; inter opes facilem, rerumque modeſtam
Temperiem, atque humiles inter ſublimia ſenſus.
Illa etiam humanos fluctus, Aulæque procellas
Effugiens procul, haud uno contenta receſſu eſt:
Dividit in gemino Cœli commercia Portu.
Si licet ire Deæ, præſcripti littoris oram
Longiùs effugere, & notis divertere Ripis;
Nos aliò Lodoica vocat: quá dulcius illi
Alterum Eiuſdem in Ciriaci Pago Delicium.
Perfugium curis, Statio dilecta quieti.
Prole Virûm felix, & ſceptris clarus Avorum
Auria, cui Liguris pars non ignobilis oræ

Servijt

Excellentiſſimus de Auria Ciriaci Marchio è Principibus Oneliæ.

Servijt; auditum cui laus ampliſſima Nomen;
Anteferens tua Rura ſuis Regalis Amazon,
Hæc ſibi tranquillos elegit in arva receſſus.
Nec meritum laudetur agri: tua cognita morum
Gloria, Fortunę Virtus comes addita magnæ,
Parque Viro Coniux, & utrique ſimillima Proles,
Virtutum hæredes, ſimulacraque viva Parentum,
Hunc tantum meruere Loci felicis amorem.
   Hìc licet æterno radient viridaria Maio;

Horti, Sylvæ, fontes.

Explicet & totos florum gens omnis honores;
Quamquam etiam ſylvæ riuus comitator, & umbrę,
Ducat in inſignem cryſtalla fluentia Fontem;

Geminum ac lautum Palatium.

Quamquam magna duplex æquato corpore tollit
Se Domus; & Regem præter, nihil invidet Aulæ;
Nil tamen aut maius ſperent, aut gratius, ipſa
Hoſpite: nil Aulæ maius, nil gratius Horti.
Delicias affert, quas invenit. Illa beatas
Fert ſecum Charites; ſequiturque modeſta voluptas,

Amazoniæ artes.

Ingenuique ioci, & caſti comitantur amores.
Fœmineum nihil illi: animos virtute viriles
Complexa, armigerosque modeſto in pectore niſus;

In his peritia incredibilis.

Seu gerat impavidam galeata fronte Lacenam;
Sive pharetratam in Sylvis imitata Dianam.
Huc fluere auguſta Procerum conſuevit ab Urbe
Flos omnis: certatque ſequi per amœna pericla
Venantem: & genus omne putes certare volantum;
Summa quibus primi contingat gloria lethi:
Tot ſolet illa redux alatæ funera turmæ,
Lætaque ſanguinei ſpolia oſtentare triumphi.

Cumque

Cumque domi vacuam curis, circumſidet Orbis
Aulicus; ingentemque excepit læta Nepotem; *Comitas.*
Tum quidquid volat in Sylvis,per grandia quidquid
Stagna natat, genus egregium, raræque ſenectæ,
Gaudet dilato Menſas ad Principis ævo.
Pomiferas & opes, & ſe gaviſa Potentum
Carpi Mala manu, cum nuda amiſerit arbor;
Flere colorato viduatos pignore ramos *Liberalitas.*
Haud invita videt. Non illis Flora diebus
Arceat effuſas populando à Rure puellas:
Quippe coruſcantem ſobolem, illuſtresque rapinas,
Dum ſpargunt hilares feſta ad Convivia Nymphæ;
Dum magis indulget, Dominæ dum ſervit amanti,
Clade ſua lætatur ager. Sed dulcior illi
Mentis amica quies, & Cœlo teſte voluptas.
Quum procul amoto meliora per otia Cœtu,
Sola ſibi vacat; inque pios digreſſa receſſus,
Libat adoratis Superum ſolatia Divis.
Non hìc impurus vendit ſua crimina Pictor: *Pietas.*
Aut emit impuros vitij mercator amores.
Innocuis ſecura oculis Conclavia luſtrat *Sacræ Cœlitum Icones.*
Virginitas. Nulla eſt Tabula inſidioſa pudori:
Quod potuit pietas pietati pingere, pinxit.

VOLUP-

VOLUPTARIÆ AC SUBURBANÆ SYLVÆ.

TAurino qua parte dies venit,atque tepentem
Fert auram; veniunt agris felicibus Horti,
Et vivunt Zephyrorũ animis. Qua parte,ſevera
Nox Hortis ruit, & Boreę riget atra poteſtas;
Hìc neglecturis Aquilonum flamina Sylvis
Indulſit Tellus. Hìc Regibus orta cupido
Arboribus legem, & nomen dare grandibus umbris.

A Carolo Emm. I. excitatum ædificium, bellorum occaſione intermiſſum.

Ille potens bello, fortuna infractus iniqua,
Maiorem Regno dederant cui Sydera mentem,
EMMANUEL, poſitis cum paci aſſueſceret armis,
Orbis amor; terror, cum tela capeſſeret, Orbis;
Hìc nemori indulgens, operis primordia magni
Jecerat. Inſignis creſcebat Machina; bellum
Obſtitit; Arma manum pulcro eripuere labori:
Unaque nobilibus permanſit gloria Sylvis;
Materies cupidæ digna, atque uberrima Muſæ.

Lucus Senior iuxta Padum. Parco Vecchio.

Lucus Junior Urbi proximus Parco nuovo.

Eſt Regale Nemus, quod Regius alluit Amnis;
Et ſeniorem ipſa dixere ab origine Lucum,
Urbe procul. Juncta eſt Sylva altera iunior Urbi;
Sylva Subalpinam quæ nata beare iuventam.
Scilicet hæc patrijs contermina Mœnibus, etſi
Sylva minor, cultu inſignes & origine plantas
Jactat honore pari; non victa virore, nec umbra.
Tumq; magis ſpectanda,frequens ubi Sylva refulget
Ordinibus Juvenum lectis; vacuisque diebus

Diſtinet


um 9


Regium Viuarium

Diſtinet ingenuam ſub amœna umbracula Pubem.
Vere novo, aut quando Canis æſtifer urit Olympum;
Quisque manum tudite armati, feſtina iuventus,
Impigraque, in varios ſe ſe partita maniplos,
Emicat: & capere ante locum, primusque potiri
Certatim vacuâ ſatagit chorus omnis arenâ.

Deſcriptio ludi tudicularis quo pilæ buxeæ tudite, ſeu clava bicipite propelluntur.

Effluit in longos ubi latior Area ductus,
Hìc Juvenum pugnæ, lætique palæſtra pericli,
Hìc ſtadium ludo eſt: buxique volubilis orbes,
Haud mora, depromuntur; humiq; ad certa locantur
Verbera, ubi æratæ furat experientia Clavæ.
Jamq; calent Luſorum acies: ſimul ictibus inſtant
Alternis. En ſorte data, prior emicat ille
In medium! Duplices ad lignea robora palmas
Intendens, ſignatque globum, bis terque minando;
Et parcit, certus non parcere: Mox ubi totas
Collegit vires; vires ſimul exerit omnes,
Exoneratque manum. Celeri pila buxea pulſu
Concrepat icta; globo ſtridetq; ſub alite Tellus.
Ille volat radens auram, volucrique rotatu
Æquora longa rapit, ceu turbo, aut fulminis acti
Impetus. Huic oculis, votisque ſequacibus inſtant
Luſores, & fortunam rimantur euntis:
Donec, ubi intepuit plagæ calor, & cita virtus
Verberis; illa etiam paulatim deſerit alas;
Velocemque animam, curſu moriente, relinquit.
Ilicet arreptâ Luſor micat alter arenâ;
Jamdudum cui Clava biceps ad verbera fervet
In manibus, magnæ ſtimulata cupidine plagæ.

Ergo

Ergo utraſque manus arrecto corpore tollens;
Abducensque retrò valido fera pondera niſu,
Horrificus quatit. Immani ſonat icta flagello
Area. Plaga potens iram conſervat; euntem
Indignata globum inſequitur, longumque per æquor
Prçcipitanter agit. Ruit ille animoſus ab ictu,
Verberis auxilio fugiens â verbere: Secum
Abripuiſſe putes robur ferientis, & omnem
Exhauſiſſe animam; tanta eſt à vulnere virtus.
Namque fatigatus languet percuſſor; at ille
Percuſſus valet: & palmę laturus honorem,
Aufugit ad metam; parit, & fuga magna triumphum.
Sed neque proſperitas eſt ſemper euntibus. Obſtat
Varia ludi conditio, & fortuna. Fortuna interdum; ſua ſuntque pericula ludo.
Peccavere manus aliquando; ictumque per auras
Proiecere: Aliàs ictus brevitate fefellit,
Offenditque invitus humum; nolensque pepercit
Ira, irata ſibi: ſępe anceps clava momordit
Dimidium abradens non iuſto verbere buxum.
Illud in obliquum fertur: tum curſibus errat
Incertis: ridet turba ęmula, dum pede claudo
Inſipiens temulenta rotat veſtigia turbo,
Indoctus metæ, atque viæ. Sępe inclyta ludo
Dextera, plagifero quamvis excelleret uſu,
Victa tamen fuit. Illa dedit mirabile verber;
Et pila vulſa ſolo, ſaltu generoſa volucri
Æthera corripuit; mox & Tellure volatum
Continuans, veluti vento cita Cymba ſecundo,

Extemplò dedit in Syrtes : Syrtesque fuere,
Aut lapis, aut cortex, aut lapſus ab arbore ramus :
Obice quo diverſus abit; ſive ictus in ictu
Frangitur, aut querula vertigine buxeus orbis
Infremit, amiſſæ intolerans ſine crimine palmę.
At non primo omnis conſtat victoria niſu.
Spes iterum datur; & pulſu inſtaurata ſecundo
Sors redit. Ut verò extremæ iam proxima metæ,
Pugna calet tandem; valido non vincitur ictu,
Sed iuſto. Gemino ſignatur Stipite limes;
Quos intrà primus qui tranſilit, ille triumphat;
Victoremque globum pretium manet. Ergo magiſtra
Cauſa gerenda manu eſt: quę clavæ temperet auſus;
Quę feriat prudens; attentaque digerat artem
Verberis. Ad legem pila vapulet; ipſa docebit
Plaga viam: Domini ſtudioſaque ſemper honorum,
Illius ad mentem, votumque fideliter ibit:
Perque triumphalis, quò deſtinat, oſtia Portę
Ingredietur ovans,decretum læta reportans
Argentum, & meritas ſuperato pulvere laudes.
Hæc ratio læti certaminis; hiſce Juventus
Indulge ludis: Superis placet iſta voluptas.
Aut ubi per longos Sylvarum linea tractus
Multifidum reſerat nemoroſa per oſtia callem;
Ingredere has noctes, atque auras ebibe dulces:
Aut etiam claris ubi circumlabitur undis
Duria, falle dolo piſces: Sed fluminis aluum
Infidam, & nudæ vitate pericula formæ.
Nuper erat Genere inſignis, viridique iuventa;

Ratio victorię.

Qui calidus ludo, vicinum ſedit ad amnem,
Sediſſetque utinam! Neque nandi exorta cupido
Suaſiſſet dare corpus aquis! Vix unda natantem
Accepit, properate citi, properate Sodales,
Ferte, oh, ferte, inclamat, opem! Socia illico pubes
Convolat ad ripas. Puer, hèu puer! Improbus amnis
Secum aufert; rapitur, rapitur, date bracchia nantes;
Aſt iam infelicem vortex innabilis haurit;
Carnificesq; necant undæ. Miſer ille dehiſcens
Enatat ore, oratque oculis, & lucis amorem
Teſtatur, nolletque mori. Sed gurgite victus
Mergitur; & Pueris carum caput unda recondit,
Abſorbetque vorax: neque vivum Sylva reviſit
Amplius. Oh miſeræ triſtiſſima itura Parenti
Nuntia! Turbantur clamoribus omnia circum:
Sed neque ſurdum audit, nec inexorabile lethum.

Adoleſcentulus natando demerſus.

Unus eum, ſi ſors equitantem huc læta tuliſſet,
Eripere his potuiſſet aquis, & reddere Matri
Carolus. Inſigni Vercellas cinxerat Arce;
Exactoque opere ingenti, remeabat in Urbem
Tempeſtate mala: cum ſcilicet imbribus atris
Horrebat Cœlum; nec habebant Flumina ripas.
Jam tribus evictis, quartus quem vinceret, amnis
Duria erat. Ferus intrat equo, rumpensq; procellam
Altus, equo intrepidas ſimul amni intendit habenas:
Quàmque Sui ſecurus erat, tam forte Suorum
Tum fuit ille timens. Dum ſedulus ora retorquet;
Fluctibus hauſtus Eques, rapidis cum fluctibus ibat,
Flos Equitum, Juvenum lumen, qui Gentis honori

Carolus Emm. 2. Equitem fluminis vortice raptum eripit.

Junxit

Junxit opes animi, caruſque, & clarus in Aula
In præſens viget. Ergo illum cum vortice euntem
Præcipiti agnovit longè: mora nulla, furentes
Pugnat equo in fluctus; irato iraſcitur amni;
Quàque magis glomerant violento gurgite magnam
Flumina vim; ſecat ille vadum, Proceremque prehendit
Ultima luctantem, & præter ſua vota vigentem.
Et iam Seque, Virumque regens, dum detinet amnem,
Suſtinet; undoſoque horrendus dimicat æſtu:
Voluitur in Spuma, debellatisque ſuperſtat
Gurgitibus, prædam aſportans: victorque coegit
Quamquam invita, ſuum cognoſcere flumina Regem.
  Juncta Suburbanæ Senior viret altera Sylvæ
Sylva: Coronatis quæ formoſiſſima pridem *Luci ſenioris deſcriptio*
Hoſpitibus, non Arcadijs luſtrata Deabus
Invidit Nemora, aut Graij pineta lycei;
Non Vallem Idæam, non culmina ſacra Molorchi,
Aut decantatas facundis quercubus umbras.
  Fama eſt, Hollandis ubi florentiſſima præſtat
Haga plagis; è littoreis contraria Portis
Ad Maria, eximiæ tractum procurrere Sylvæ: *Hagæ Hollandorum Regiæ Lucus celebris.*
Quam Tiliæ inſignes, uno non ordine in amplos
Diſtinguunt longè Calles, quantum ipſa tuendo
Lumina, vel greſſus valeant luſtrare ſequentum.
Dumque per æſtivos prono iam Sole calores
Belgica Nobilitas umbracula læta ſuperbis
Curribus, aut Procerum ducens Orangius agmen,
Ingreditur; (ſolet in ſterili fœcundus arena
Plurimus effoſſis habitare Cuniculus antris) *Cuniculorum greges.*

 Hìc

Hic canibus pulcrum eſt, actos formidine circum
Littoreos agitare greges: quos ire, redire,
Lubrica libertas, ſpes, vitaque labilis urget,
Ni citò, victuri, fidâ tumulentur arenâ.

Haud minor Alpini, neque diſpar gloria Luco
Arborum præter modum amœnus ordo. Principis. Arboreus longè protenditur ordo
Regis ad uſque Padi ripas: magnumque vetuſtis
Nomen ineſt umbris. Currens ſtat in ordine Sylva,
Denſa comas, & clara vias: Regumque voluptas
Dignior hæc; ubi nobilior Grex luſtra pererrat;
Gaudentque innocui innocuis occurrere Cervi.
Sylva etenim vaſti circumdata limite muri
Cervorum Populos captivos educat. Errat
Luſtra per ampla frequens Armentum; uſuque timendi
Cervi cicures. Dedidicere metum. Non quemquam horrere fugaces:
Ora Virûm aſſuevere pati; blandique ſequuntur
Paſtorem: quos ſimplicitas, virtusque quietæ
Indolis, haud ſemel abripiens, de plebe Ferarum
Tranſtulit ad Reges; ut Cervi Cæſaris eſſent,
Cæſaris Alpini: notosque ſeneſcere in Urbe
Sæpe alius Populus, mutataque Regia vidit.

Ulteriùs longè ſubeunt, & littora opacant
Eridani, denſæ, natæque ſine ordine Sylvæ,
Cultricem aſſuetæ non formidare ſecurim;
At ſibi fatales Nautarum horreſcere falces;
Ignavi poſtquam tolerarunt otia Secli.
Hic licet umbra, fugæ latebras, & inhoſpitus horror
Promittat loca tuta Feris; non ira Luporum,
Nulla fames Urſi, nec Apri vindicta timetur.

Pax

Pax Nemori eſt : niſi cùm reſonat venatica bellum
Buccina ; prȩmonitique inſtare pericula Cervi,
Invigilare parant curſu; contendere, ut hoſti
Prȩvaleant virtute fugȩ, ſoloque pavore
Pugnaces. Sed ubi loca latè impervia Soli,
Venatu penetrat Princeps ; ſunt vota Ferarum
Irrita ; vana fugȩ ſpes, & fiducia Sylvis.
Muſa, agedum, feror in Sylvas : placet horror, & ipſa
Venantum feritas. Iuvat indulgere furori ;
Prȩcipitemque ſequi per amœna pericula Regem.
Ille nec in vulgus pauitantum, nobile robur
Conſumit : Damas dedignans haſta minores
Prȩterit. Aſt ȩvo validum, dignumque timeri
Intellecta fugȩ dent ſi veſtigia Cervum ;
Signa Ferȩ obſervata legens, quam proditor unguis
Indicat, inſequitur compendia nota viarum :
Unà Equitumque, Canumque ruit delecta iuventus.
Umber, cui primo nares Venator aceto
Defricuit, iamdudum omnes intelligit auras
Nare vigil, plenoque Feram longè haurit odore :
Hortaturque oculis, ſtudiumque invitat eundi.
Poſtquam altas ventum in Sylvas, ubi cluſa lateſcit
Bellua ; ubi denſi defenditur aggere dumi ;
Inſtaurare morâ curſum, ſcenâque laborem
Si iuvat ; auſuri reprehenditur ira moloſſi :
Stare iubentur equi : tum ſi cita fiſtula Sylvas
Exhilaret ; dulcem cupida bibit aure camœnam ;
Captaque carminibus, timidæ faſtidia vitȩ
Ponit : & humanùm ridens, ſimilisque fruenti,

Cervorum circumquaque Venatus frequens.

Cervi ætas, magnitudo, á veſtigijs deprehenditur.

Aceto Canum olfactus acuitur.

Cantu detinentur Cervi.

Annuit

Annuit ad numerum: & viſum obliviſcitur hoſtem.
At ſi præcipitat ſtudium, prædæq; voluptas,
Nec vis irrequieta canum ſibi temperat; altum
Cingitur inſidijs Nemus: inde cubilibus atris
Deſuper invadens latrantum immiſſa caterva,
A Sylvis in plana detruſi. Sylveſtrem in planum capram exigit: Illa refractis
Quippe micat latebris, & corripit æquora ſaltu.
Tum verò effuſis non eſt modus ullus habenis.
Miſſa cohors volat ante Notos; ipſamque cohortem
Antevolat Princeps. Vix agnovere ruentem,
Amiſere oculi. Socijs curſoribus illum
Celat, & oſtendit longinquus in æquore pulvis.
Turba ſequax clamore præit: Nec ſegniùs inſtant
Curſibus inſanire canes; rabiemque ciere
Latratu: viſamqne ſibi promittere prædam.
Illa ſagax valet arte pedum: nec callida rectum
Servat iter; ſpatiove parem ſe ſpondet aperto.
Optimus eſt illi conſul timor. Implicat orbes
Orbibus; obliquatque vias, & funera differt.
Nullæ in Rege moræ. nec vis deluditur aſtu:
Namque ubi difficilis, viaque eſt ubi nulla, ſecutus
Rumpit equo. Gyro nunc interiore, fefellit
Fallentem: nunc arva vorat; nunc ſaltibus altas
Coniungit ripas; aut nando deſerit amnes.
Inſtat ubique, & ubique premit. Sępe apparat ictum
Arduus: illa capit cæcum furtiva meatum;
Seque negat iaculo ferientis, & innovat aſtus,
Spemque ſuam reficit. Sępe & iam languida longo
Victa labore Fera eſt: obverſaque cornua tendit
Fronte

Fronte minax : Contrà Sonipes fremit, & ruere ardet,
Et ruit : at curſu exhauſtam, rapidoque furore
Depopulatam animam, ſupremo in robore, robur
Deſerit. Extemplo caput anceps, arida colla,
Et fallæ vires. Non ſponte reſiſtit habenæ;
Nec ſtimulos audit: tremit ilia, Sudat, anhelat,
Seque mori ſentit, mediâ compulſus arenâ
Sternere Victorem invitus. Quare edocet uſus
Sparſa intervallis Venantum caſtra locari,
Subſidia Alipedumque, Canumque: monente tumultu
Adventare Feram; preſſis ille ardet habenis,
Laſſaturque morâ: pugnant hi vincula Collo
Exuere. Ut primùm Fera tranſilit; impiger Heros
Alipede oblato curſum innovat: innovat alas
Umbrorum cita libertas. Tum viribus impar
Bellua, ſe victam, ſed Marte fatetur iniquo.
Fit ſonus:obſeſſi ſignum dedit illico Cervi
Buccina: Venantum reſpondent undique Caſtris
Caſtra; Canes Canibus; Vallesq; Amnesque reclamant
Concurſu: tantæ eſt omnis victoria curæ.
Bellua ſi cornu procul emicat ardua; vires
Indicat, & nondum extinctas in viribus iras:
Eſtque timenda, timens. Namque orbe incluſa, tuetur
Ultima quid valeant arma; atque attenta periclo eſt.
Tum magis, atque magis latratu inſtare Moloſſi:
Quos iam ſerus honor prædæ, quos æmula dudum
Inſtigat rabies, & primi gloria morſus.
Verùm ſi dentes, & non niſi Cornua tantùm,
Bellum ineant; non finis erit: laus ultima ferro eſt.

Equi ſæpe nimio curſu exhauſti hyppotipoſis.

Canum, Equorumque Subſidiariæ Stationes.

Cerva curſu deprenſa.

Obſeſſa.

Illa

Capta. Illa ubi ſplendentem ſua poſcere viſcera dextram
Cognovit; miſera ægreſcit; vitamque precari
Velle videtur; & intentis obtutibus orat:
Urget amor vitæ. Neque ſemper Regius enſis
Crudeli indulget voto: ſæpe innuit ictum;
Inde mori certam placituro errore fefellit.
Saucia amore Fera eſt: ultrò captiva recumbit:
Clementemque manum, nequeat cùm dicere, ſentit.

RACONISIVM.

RUra Racóniſij, Floræ variabile Regnum
Urget Apollo ſequi. Non Hyblæ culmina certent;
Arvaque ab Heſperio fruſtrà vigilata Dracone.
Iſtic perverſo nunquam Jove, gaudet Olympus
Rumpere brumales manſuetis Solibus iras;
Æſtivas idemque hyemes, dum Sirius ardet,
Mittere; & Auguſto dulces ſpirare Novembres.
Tempus iners nullum. Non Patrem expectat Aprilem
Florida progenies: Pomona celerrima, it ante
Autumnum; ſeroque ignoſcunt frigora Baccho.
Hìc illa antiqui licet ingens gloria Tecti,
Sereniſſimi Principis Philib. á Sab. Delicium. Parva tibi viſa eſt PHILIBERTE: Adeò inter amœna
Otia nil modicum ſentis: Nec fortia ſolvunt
Pectora deliciæ. Tu magnum Marte Parentem,
Pace imples: vitâ THOMAS elucet in omni.
Princ Thomas militaribus geſtis clarus. Quidquid agas, grande eſt. Patre hoſpite digna tot annis,
Tanta Domus, tantique capax Herois, habetur

Te

Te minor : auctus honor pretio , pretiumque decore:
Et labor , & Moles , rerumque opulentia crevit.
Biſcentum mirerne priùs ſuffulta columnis
Atria ? An effuſo laquearia barbara luxu ?
An Cœlo illuſtres Caſtella ferentia Turres ?
Quæ Larium fuga ! Quæ facies ! Qui ſplendor in umbra
Porticuum ! Excelſis patet in longiſſima quantus
Orbis ab aggeribus! Xyſtos aſcende , ſupernè
Tecta coronantes ; Ruri dominaberis amplo
Undiq;. Quidquid opum, quidquid congeſſit honorum
Flora, tuum eſt . Nondum arva tamen per aperta vagari ,
Tempus adeſt oculi : paulùm iuvat ante morari ;
Æde iterum propiore frui . Non illa vetuſtum
Conſuluit morem : libuit communibus immò
Legibus exire , & nota diſcedere ab arte .

Finge tibi teſtudinea ceu Pantheon Arce
Attolli , & Dominis dominari in Sedibus alto *Palatij ſpecies , ac figura*
Vertice ; quem circum Capita inferiora coronant .
Subter ab ingenti ſe Machina porrigit ingens
Orbe columnarum : quarum circummeat ordo ,
Unà & marmoreis ornata Periſtyla Signis . *Atrij forma*
Hinc licet iniecto prohibentur Sydera Tecto ;
Limina Liminibus reſpondent , Arcubus Arcus ;
Altaque diſpoſitę reſerantes ora feneſtræ ;
Unde ingreſſuræ pateat via lata diei .

Hæc laqueata prior complectitur Atria Sedes ;
Queis ſuper accumbens , camerato fornice Moles ,
Inſternitque baſim ; ſurgitque in principis Aulæ *Aulæ maioris ornatus .*
Permagnum , & mira compactum lege Lacunar .

H Mille

Mille hìc diſparibus diſcrimen agentia formis,
Mille peregrinis laquearia viva figuris,
Aurea cælatis extantia Pegmata Xyſtis,
Serica cum gemmis, veſtitaque murice ſaxa,
Et pretium, & luxum, & quidquid laudatis Avari,
Commemorare piget. Fuerint nihil iſta: recedant
Divitiæ; nudate Lares, arcete colores;
Oſtrum abeat; redeat paries; ſe nobilis ipsâ,
Sic quoque viſa Domus, pretio non indiget empto.

Structuræ artificium perrarum.

Rarum opus, ac præſtans: nec enim quadrantia Tectum
Scinditur in latera; & gemina vix parte, remotum
Ut ſolet, exceptura diem: dominata per amplum
Machina circuitum, ventis patet omnibus omnis:
Tùm licet hæc aulas diſcriminet aula minores
Undique; non ullâ lux intercluditur orâ.
Syderis in morem, alterno Structura labore,
Quatuor à Cœli longè regionibus exit;
Extenditque pares ſua regna domeſtica in oras:
Quas oculus mediæ centro dominatus ab Aulæ,
A fronte, à tergo, latere ex utroque, recedit

In 4. latera diſpertitæ

Undique in immenſum directa per oſtia curſum;
Metiturque uno bis bina Palatia viſu.

Ad totidem latera intermedij Aggeres, ſeù Podia.

Quotque Lares circum, tot clara Cavædia circum,
Et parios circum lapides, ſpirantia Signa
Conſpicis, auguſto divortia pulcra labori.
Hinc modò non plenum quævis plaga ducit Olympum;
At dum marmoreis intercurrentibus orbem

Varij exinde Proſpectus.

Aggeribus ſpatiatus agis, ſpectator eundo
Percurris varium in varia Statione theatrum.

Quæ

Quæ mare Tyrrhenum Statio, Solemque renatum
Aſpicit; inſignes, longè quos æmulus optet
Oſtendit Liguri, tibi cominus explicat Hortos:
Hortos æternûm virides; formoſa capillis
Repit ubi attonſis, ſinuoſo cæſpite myrtus;
Circinat, & parvam per mille volumina Sylvam.
Intus, vbi Scenæ dant intervalla virentes,
Sparſa quid enumerem ſtellantis lumina campi,
Floriferum vario ceu fixum Sydere vulgus?
Quid celebrem fontes, luſusque tot inter aquarum,
Quid lapidem ſculptum, vivumque ex arte metallum?
Quid nemus ambiguum, ſe ſeque ubi lumina perdant,
Aut aciem crucient, fraudem ancipitis Labyrinthi?
Ne volitenr oculi per ſingula, copia pulcri
Impedit: hàc, illac, quoquò rapiare, teneris.
Nil ſpectaſſe priùs non iuverit:illa requiris,
Iſta vocant: quodcunque legis, quodcunque relinquis,
Maius utrumque putas: adeò diverſa beati
Forma loci attonitos ſuſpendit ad omnia viſus.
At latere adverſo, quo Rura, Laresque cadendo
Sol videt, ah! Miſeri quòd non hìc vivitis Horti;
Accuſate domos. Naſci ſine funere veſtro
Non potuere. Genus lectum, non cognita longè
Germina, vos alio quæ Flora vocarat ab Orbe,
Heù! modò crudelis ſepelit labor. Attamen omnis
Non tulit hanc labem tellus. Languentibus Hortis,
Servatura ſuæ vitam Pomaria genti,
Sævire implacidas ultrà vetuere ſecures.
Quin etiam extenti fines, quæſitaque Regna

Hortus florum ad orientem.

Fontes, Statuæ.

Labyrinthus.

Ad Occidentem, Peramœnum Pomarium.

Ubi antea infrugiferæ Plantæ, unicè ad præſtandam opacitatem.

Altera: Progenies melior, Populusque virentum.
Vos formę egregiæ, lecti vos Mala ſaporis,
Prælata umbriferis, & amantibus otia plantis.
Haud equidem immeritò. Campis expulſa Potentum,
Atque infrugiferæ male fortunata Dianæ,
Jampridem dare iuſſa locum Pomona dolebat.
Quòd nec avara foret, nec inertes panderet umbras,
Crimen erat: luxus foliorum, & læta virore
Paupertas, ſteriles in Rura vocaverat Ulmos:
Ulmos ſponte ſua viduas, ac pignore nullo
Felices Platanos, rugoſæ labe ſenectæ
Horrentes Quercus, nec amico Principe dignas,
Nec Jove; felices, dignasque effecerat horror,
Perpetua Auguſtis umbracula texere Campis
Cumq; procul miſeris,miſeras non eſſe, noceret
Arboribus, Dominiſque eſſet prodeſſe, ſceleſtum;
(Uſque adeò rea fertilitas) plebeiaque tantùm
Flebiliter dites irent in prædia plantæ;
Illas fortunatè inopes latiſſima Regum
Jugera poſcebant. Ubertas pulſa gemebat;
Regnabant umbræ: nec frugibus utilis Annus,
Sed decor omnis erant frondes, & opaca voluptas.
Tandem hic tantus honor tenebrarum, & vana comantũ
Gloria decrevit Nemorum. Non Terra ſuarum
Hoſtis opum, optavit fruges; & paſſa iuvari,
Continuò pubem generoſam, ac fertile Vulgus
Admiſit. Dea pulcra comis, & inanibus umbris,
Pomiferæ iam non Matris, neque prolis honores
Deſpicies. Simul ac percrebuit undique rumor,

permiſſos

Permiſſos aditus, ſedem hoc in Rure paratam
Frugiferæ ſoboli; citiùs ventura cucurrit
Littore ab Euxino, quam quum victore Lucullo, *Ceraſus ab Euxino Mari in Italiam olim traſmiſſa.*
Se Ceraſus patrijs Romanam vidit in Hortis.
Nec fugere ingratam Babylonis diſtulit Urbem
Morus; ubi errorem male fauſti fabula amoris *De Moro fabula.*
Commemorat, natamq; ab Amantum funere plantam.
Affuit & triſtes emendatura ſapores,
Hìc procul à patrijs victura beatior oris, *Maligna in Perſide Perſicus.*
Perſica; non nocuo carpenda fideliùs auro.
Quæque ſibi mendax, flavens matura Cydonis,
Rore acido mordet, crudoque aſperrima ſucco;
Corrigere hoc uno vitium ſperavit in Horto.
Parthica iam Pomo, iam Tellus gallica Pruno
Diſplicuit. Picena Pyrus, Pyrus attica, ibera, *Pyrus multiformis.*
Parthenopæa Pyrus, nomen quacumque Sabaudum
Plauſibus inſonuit, patrias faſtidijt oras:
Et diverſa Polo, virtute, colore, figura,
Dives opum, ſed opum, laudumq; ignara ſuarum,
Hoc primùm obſtupuit, cùm ſe cognovit in agro:
Et cunctas ùt opes, ſic omnes protulit artes.
Nunc viguiſſe potens, ſublimibus æmula plantis, *Multiplex earumdem cultura.*
Sorte humili gaudet; truncoque modeſta puſillo
Caſtigat luxum: Nunc orbe attonſa rotundo,
Parva licet, formam maieſtatemq; tuetur
Arboris: Armati modò fixa ad ſpicula Muri,
Legibus aſſueſcit; nec ferrum, aut vincla recuſat,
Munera captivis effundens prodiga ramis:
Nunc viridi areolas præcingens ceſpite, gaudet

pomifero

Pomifero veſtire vias, & ſepta paratu:
Unde iuvet circumlegere invitantia mala,
Quę meruere legi; meritumque expendere guſtu;
Atque coronandis ferre ultima gaudia cænis.

Ad meridiem frons Palatij, Atrium, Platea.

Hæc tibi ad Occaſum Spectacula: diſpare ad Auſtrum
Paſceris aſpectu. Spirant ingentia faſtum
Limina; & hoc tantum iuxtà conſiſtere Limen,
Credo humiles puduiſſe domos. Urbs plurima circum
Plebeium non auſa caput ſuſtollere Cœlo,
Procubuit, peperitque Forum: ſolæque ruinæ
Immenſum, hinc Aula faciem præbente, theatrum
Ædificant oculis: ubi circumquaque pateſcens
Avia marmoreo concluditur Area Circo.

Locus baſtiludijs aptus.

Huc Juvenum validis virtus exercita membris
Deſcenditque frequens, lætæque pericula pugnæ
Inſtituit; ſive arma parent, ſimulacraque belli,
Æmula ſeu pulſet pulſandi gloria follis.

Namque ubi longa dies, & ad umbram fallitur æſtas,

Quotidiè hic per æſtatem folle ludentium deſcriptio.

Hoc ſolita in primis vires tentare periclo,
Uivida congreditur Pubes: Pugileſque locantur
In Pugiles. Horrent permulto quernea dente
Bracchia; ventoſum quibus iraſcantur in orbem.
Hic ubi concepit ventos, animamque ſuperbam
Flaminis intruſi, ſtare impos, poſcit arenam
Turgidus; ac levior, quò plenior, ille minaces
Provocat, inſtigatque manus; ultroque, citroque
Vapulat; & quatit & quatitur; fert bella, refertque:
Ille tamen nullis animos, ac robora damnis
Deijcit: ex ipſis inflata ſuperbia plagis

Tollitur

Tollitur, atque altæ tumet ambitione ruinæ.
Verbera vult, repetitque manus, & ab ictibus alas
Arripit: aerias volat aura incluſa per auras,
Captivamque ſuus ſequitur per inania carcer.
Tum verò curſu, atque oculis vigilantibus inſtant
Intenti ludo Juvenes; luſoriaque arma,
Flexibileſque rotat feſtina peritia cæſtus;
Jamq; huc, iamq; illuc ſphæram inſectata volucrem.
Dexter in arte, globique vias, ac tempora novit;
Metiturque moras; loca prævenit; inde reducens
Longiùs ab latere, intentæ fera pondera dextræ,
Collectum effundit curvato corpore robur.
Æthere mugitum parvo dat ſphærula Mundo,
Pulſa volans; ludique vias, metaſq; palæſtræ
Tranſilit, & vacuâ liber perſultat arenâ
Jam victor, clarusque relati laude triumphi.
O decus Allobrogum, proles pulcherrima bello,
Jamdudum patrijs, quem magnus Avunculus Aulis
Eripuit, tenero Jvli iam Cæſar in ævo;
Non ego virtutum laudem hanc in parte tuarum,
Enumerem: tecum nullos concurrere ludo
Poſſe Viros: neſcire parem, ſeu robur habendum,
Seu cita dexteritas, & ad omnia flexilis ardor.
Eſt tibi primus amor ſævo contendere Marte;
Exercere manum bello: ſeu cominus enſe
Rem geris, aut certa volitas metuendus in haſta
Eminus; aut ſpumantis equi, nec fræna ferentis
Indociles animos, & colla ferocia victor
Fregeris; armigeri quoties ſtupuere Magiſtri

Julius Ludov. a Sab. Sereniſſimi Princ. Philib. ex Fratre nepos.

Bellantem

Bellantem, & primas referentem in pulvere palmas!
Crebra Raconiſiæ neque Te præſentia Villæ
Diſtrahit à ferro, aut Martis tepefecit amorem.
Viluit omnis ager: nulla eſt Tibi grata locorum
Gratia; nec nitidi fontes, nec florifer hortus;
Sola vocant nemora; & ſolis loca pervia monſtris.
Quæque immane magis venienti obiecerit, illa,
Illa ſuper reliquas Sylva eſt pulcherrima Sylvas.
Fixeris inſignem niſi adacta cuſpide Cervum;
Aut Te cum magni lux ſera reuiſerit Apri
Exuvijs, nullo reducem diſcrimine, mœſtum
Veſper habet. Servâ hos animos, hæc pectora Iuli;
Tempora non deerunt: cùm magnum Marte Parentem,
Maioremque imitatus Avum, famamque, decusque
Amborum, exemplis reddes æqualibus Orbi.
Vix etenim primo pingens lanuginis auro
Ora, nec ingreſſus quarti confinia luſtri,
Omnia Martis habes, ac Principis. Aſt ubi bella
Somnio? vel Floræ in Regno cur arma recordor?
Pieris expleto circumfer lumina gyro;
Cætera vaneſcent oculo, ſi viſa, videndis
Conferat. Egreſſus borealis ab aggere Xyſti,
Arua ubi liber habes; rapit improviſa Voluptas,
Et ſtupor, & quędam divini Ruris imago.

Huius ſtrenuiſſimi Pr. laudabilem, & infelicem in Pannonico bello mortem alibi deſcribit Auctor.

Ad aquilonem proſpectus cæteris omnibus amœnior.

Proh! quænam Elyſij facies! quibus ebria miris
Lumina delicijs! quæ lux! quæ Sylva! quis Hortus!
O Regio Heſperidum! Nympharum Patria! Sedes
Vera voluptatum! Auriferis Viridaria Plantis;
Alcinoi invidiam poterant ea ſola mereri.

Hortus citrius.

Hæc

Hæc tamen ex altis luſtrans nemora aurea Tectis,
Multifido in varias frondentia tramite claſſes ;
Unde animæ exhalant, quas felix hauriat æther ;
Umbrifero ereptum Nemori ſi rebar honorem,
Mentior. Abſtineo poſtponere grandia parvis,
Frondea fertilibus. Deſcende: Hortisque relictis,
Penſilis Heſperiæ ſubeuntem introſpice ſylvam.
Qui rurſum ſtupor! arboreum ſpatiata per Orbem,
Undique amœnarum quæ pompa, quis ordo viarum!
Siſte in fronte pedem: Hæc oculi ſit prima voluptas,
Metiri, Eridanum qua parte feruntur ad amnem,
Tòt decurrentes nemoroſa per oſtia calles.
Quiſquam adeò ſperet ſpatia intercluſa tuendo
Poſſe ſequi? Feſſum fugiunt confinia lumen:
Rara tenet vetitos oculi victoria fines.
Magnificâ tamen ille viâ, ſeptoque virenti
Captivum geſtit ſpatia inter grandia viſum
Ducere, ſeque ſuo felicem carcere dicit.
Nec fortuna minor, ſua nec ſolatia deſunt
Auribus: hiſtoriam repetens philomela canoram,
Ramorum latebris, & freta fidelibus umbris,
Jam ſtudioſa ſequi, mox & prævertere euntem;
Audirique volens, calles facunda per omnes,
Inſinuat dulcem, plorans ſua fata, dolorem.

Cui ſuccedit Nemus voluptarium, ac prorſus magnificum.

Miræ longitudinis Ambulacra.

Quid moror? Ingredere huc tandẽ: vix te via princeps,
Area ubi longam findit latiſſima ſylvam,
Excipit; ùt Cœli facie lætaris aperta!
Accito pretijs toto Jove, ùt ampla decoris
Maieſtas oritur ſpatijs! Ut nudus Olympus,

Ambulacri maioris amplitudo, & amœnitas planè ſingularis.

Ipſaque in ingentem vertuntur inania luxum!

Arborum ordines.

Hàc tecum gradiens utrinque aſſurgit eunti
Sylva; ſecuta pari ſua per diſcrimina ductu.

Inſtar tapetis, hinc & illinc ex attonſa Carpino oblongæ, & prealtæ ſepes.

Illa exoſa rudes annos, ſtudioſaque formæ,
Subter (ubi truncum rugoſi dedecus ævi
Aſper arat cortex) prætexti fraude vireti
Conveſtit; ſeniumque, inhonoraque ſecula condit.
Namque ſubit ramo procera, brevisque capillo
Carpinus; arboribusque hærens, longo ordine currit,
Tonſis perpetuum folijs imitata tapetem.

Paſſim et in tranſverſa nemora Ambulationes amœniſſimæ.

Id mirum eſt: unus tibi contegit omnia margo:
Inde repentino ſpatium vaneſcit hiatu;
Ut timeas fugiſſe nemus: diſcedere utrinque;
Sed geminam reperis patefacta per oſtia ſylvam.
His intervallis ſeræ faſtidia metæ
Fallis: & exortis ſpatia ad diverſa theatris,
Ut pede, ſic hæres animo; nec tædia ſentis
Longa moræ. Haud uſquam arboreæ cupidiſſima formæ,
Multiplices adeò placitura Diana paratus
Induit. Hìc nullam ramis paſſura bipennem,

Cultus ac figura arborum multiformis.

Gaudet honore comæ: tonſo illic culta capillo,
Odit inornatam folijs oſtendere frontem:
Nunc amat aerium lecta de gente ſenatum
Oſtentare, capax ævi: nunc pube virentum
Exultat, Zephyris, folijsque, avibusq; diſerta:
Quà fruitur Cœlo; Solemq; per ampla viarum
Admittit: placet exilium quà denique Solis,
Vileſcitque dies; ac præ felicibus umbris
Deſpexere ipſum Sylveſtria Numina Cœlum.

Hinc

Hinc velut actores ludant ſua ludicra Fauni,
Sive choros celebrent, aut dent ſpectacula Nymphæ;
Diſpoſitæ efformant Ulmi Scenale theatrum, *Theatrum arborum.*
Vento auditore, & cæcis ſpectantibus umbris.
Illinc docta iocum myrtus mille induit ora:
Sæpe levem ſtupeas imitari bella Dianam; *Mirificum Myrtetum.*
Frondentes motare acies, bellare viretum:
Tela modò Zephyris agitata tremiſcere; iamque
Velle ferire putes: irata ſibi, fremit arbos;
Alternoque ſonant afflictæ verbere frondes.
Sæpe nataturas oſtendit Sylva carinas;
Sępe locuturas volucres; laturaque monſtra
Lætitiam: non ſunt oculis inamœna Draconum
Corpora: nec nulla eſt terrori gratia falſo.
Numina iam vobis, & credula ſomnia vatum
Parcimus: eſſe capax tantorum haud rebar honorum
Poſſe nemus: tua nec Xerxes deliria damno:
Vos Sylvæ in cauſa, quæ ſic potuiſtis amari.
Hunc Aſiæ primâ, qui iura ferebat in aulâ,
Sedit dilectam quum lætus amator ad umbram;
Non hac promiſſus revocarit ab arbore Mundus. *Xerxes Platani amator.*
Huic Regnator opes, Dux arma, trophæaq; belli
Depoſuit victor. Pendebant undique ramis,
Aurati torques, intexta monilia gemmis,
Sceptra, Coronæq;, atque Orbis compendia victi.
Cumque Duci indulgens, etiam aſſentantibus auris
Flaret adulator Zephyrus; tum Planta ſuperbos
Edebat gemitus, ingeſti ad pondera Regni:
Claraque inextincto rutilantibus igne pyropis;

 Fron-

Frondea Sydereum nox accendebat Olympum.
Prodigus effuſor, contemplatorque ſuarum
Stabat avarus opum: nilque arboris, arbore in omni
Iam quod amaret, erat. Quoties umbracula lautis
Fumavere epulis! & cum par eſſet amori
Ebrietas; interque dapes & vina nataret;
Fudit odoriferas aureis crateribus undas,
Nectareosque imbres, & plenis balſama rivis!
Ut Platanum, & ſtultum Platani nutriret amorem!
  Quot ſecus hìc decore inſignes haud impare plantæ,
Vivitis ignotæ! Sed non ſine nomine, ùt ante,
Haud permiſſuris inhonora ſilentia Muſis
Cujusque eximij generis Plantæ Vivetis. Lucenti enodem cortice Fagum,
Et Tamarim rectis tollentem haſtilia virgis,
Niliacam Platanum, & longè trans ęquora natam
Caſtaneæ Indiacæ. Prolem haud degenerem, quam Caſtanus indica miſit,
Frugibus illuſtrem inſuetis, luxuque comantem
Barbariço, morem ſervare, & iura viarum
Undique proſpexi; quali, reor, ordine quondam
Cyrus Rex Arborum cultor. Ipſe ſuâ ſata culta manu Regalis arator
Monſtrabat Cyrus: quum lætus agreſtibus armis,
Diſtulit arboreas, ceu martia Caſtra phalanges.
Nec deſunt patrij latices, theſaurus aquarum;
Unde petunt animam rivis properantibus Horti:
Et nemora epotant liquidam ſitientia vitam.
Illa tamen primos Domini advenientis honores
Digna referre Thetis: quæ Fonte, & marmore claram
Ampla, ac percelebris Piſcina. Promicat in metam. Quondam huc deducta, natantum
Littore diverſo rara, & pretioſa iuventus,

It

It variam oſtentans per vitrea Stagna ſenectam:
Nec ſibi Regali mortem formidat ab hamo.
O Nemora! ò Fontes! ò lætæ gloria Sylvæ!
Umbræ, felices umbræ! Me iudice, primus
Splendor agri. Nemeæus atrox, ac Sirius ardens,
Hic Canis, ille Leo, cum flammis vreret Axem;
Tu me per noctes duxiſti Sylva beatas.
Per modò ſecluſos, lux eſt ubi rara, meatus,
Nunc ubi frondentes latè camerata per arcus,
Liberiore viâ Zephyros ultroque, citroque
Immittis, placidas hyemes, ſpirabile frigus.
Hìc ego non Arabum ſpirantes balſama lucos
Invideam tecum PHILIBERTE: aut mirer ab Aulæ
Fluctibus, iſta peti tam ſæpe per otia Portum.

Camerata in ſpeciem Porticus, oblonga Ambulacra

Quamquam etiam te dignæ Ædes, te Principe dignæ
Deliciæ, mediæ gremio naſcuntur in Urbis.
Magnum Urbis, Domus una decus. Stetit ardua Moles,
Orta gigas. Ætatis opus, labor exijt anni.
Æquat opes animis, ac mens generoſa recuſat
Vel lentas ad magna manus. Mirabile corpus,
Mirandum ingenium Tecti. Formâ eminet aucta
Maieſtas: labor eſt ſolas numerare columnas,
Marmora, & effuſum memorare tot Ædibus aurum.
Inſta operi; inſignes Hortos, inſignia Tecta
Digere conſilijs, & ſumptibus erige Princeps;
Adde decus, pretiumque; nihil te grandius Uno,
Eſt habitura Domus. Melior manet ultima tecum
Gloria; cum primùm Auguſtos impleveris, Hoſpes
Magne Lares. Reſcinde moras, nec tempora differ:

Palatium magnificum Taurini recenter extructum unà cum inſigni Viridario.

Nam

Huic proximum Collegium Sabaudum.

Nam tibi finitimâ dum ſe demittere fronte
Limina Muſarum pateris; dignabere amicam
Fundere Supplicibus, Tectiſque minoribus umbram.

AUGUSTA TAURINORUM.

Taurinum reverſus Auctor, intermiſſum Villarum opus antequam proſequatur; iter per Alpes, ampliatæque Urbis recentes extructiones, at præſertim Equeſtre Athenæum & Muſeum Sabaudum, tum utriuſque præcipuas exercitationes deſcribit.

POſt Nemora, & Fontes, celebrataq; Rura, ſupremum
Me petit Urbis opus: Populis, & Mœnibus auctum
Taurinum. Oh qualis geminas, & quanta reverſo
Poſt hyemes, Auguſta mihi ſpectanda recurris!
Denique poſt iter infandum, Cœloque, Soloque
Horrentes Valles, horrentia Culmina, perque
Saxa, notos, imbres, & ſe deformius ipſis
Si quid habent Alpes; tibi tertia reddidit æſtas
Denique me. Verùm & Montes, ventumque, nivemq;
Necdum animo excuſſi: ſequiturque, hæretque locorum
Triſtior, hac coram lætæ Urbis imagine, imago.

Auctoris, ad Taur. Urbem iter per Alpes.

Heu regio, Superi, heu rupes! Vix Nicia tergo
Vanuit, atque oculis fugit Mare; protinus Alpes
Obſedere viam. Poſt tergum monte relicto,

Mons

Mons oculis ſubit alter, & alter: ſumma potiri
Crederis, ima tenes; quæriſque in culmine culmen:
Ut perijſſe putans, mirere cacumina naſci.
Dumq; iugo, iam ſumma tenens, ſpem vallis ab alto
Concipis; auditur clamoſa in valle, profundum
Immugire vadum. Se odit Natura: locusque
Horridus ipſe ſibi eſt. Mons quisq; è vallibus imis
In Cœlum fugit; & longinquo vertice celſus
Exulat: Eſt ipſis ſed gloria barbara ſaxis,
Maieſtate viæ: ſumptu queſitaque largo
Per ſpatia, auguſtum quidquid miraris, & ingens;
Quidquid Naturam domat, emendatq;, Sabaudum eſt.
Aſt nihil iſta: nihil rupes, nihil horrifer amnis;
Peius in his terris Cœlum eſt; Cœlique tyrannus
Æolus. Horret adhuc animus meminiſſe cacumen
Horriſonum; nimbique, atque intoleranda recurſant
Flamina. Fari iter infelix, ac turbida Regna
Mens agitat, triſtesque plagas opponere lætis.
Has per ego valles, & cluſum vallibus amnem
Dum cuperem montes, mons affuit. Æthere aperto
Ventum; immanis ubi Mons princeps, corpore vaſto
Obiectat ſe ſe; & claudens loca inhoſpita circum,
Vallem exire vetat, tollitque in nubila frontem.
Subter bruma tepens, raris aſperſa pruinis,
Æſtatem tolerat ſociam: ſua frigora ſervat
Vix Aquilo: in Solem pugnat, Sol pugnat in illum,
Et miram Cœlo faciunt ea prælia pacem.
Sed nubes ubi rumpit apex, Cœli incipit eſſe
Ira, quod aura fuit. Vibratus crura, caputque,

Magnifica in ipſis Alpibus Via.

Mons dictus Corniger.

In

Ventorum conflictus ac tempeſtas.

In Cœlum, in ventos, inimicaque nubila pugno?
O Vos felices, qui ſcinditis æquora Nautæ!
Felices cymbæ, felicia carbaſa! Fruſtra
Dum queror, improviſo implexus turbine volvor.
Auſter erat: ponè obluctans, dum fronte retorta
Perfero diluvium venti; per tempora ſciſſus
Stridor, & ora ſecans, iteratoque ariete pulſans
Flaminis horriſoni, ſe, meque ferebat, anhelumque
Alipedem, iamque in ſe ſe nil iuris habentem,
Nec celerem virtute ſua. Cum turbine curro;
Donec ubi videoque viam, montemque deeſſe;
Margine & horrendæ ſaliunt mihi corda ruinæ;
Colligo me, fortisque metu, ſed morte putata
Pallidus; ora, & equum torſi, cœloque reſiſto.
Dum tamen obluctor, pendetque à flamine vita;
Illico conſurgit ferus auxiliator in Auſtrum,
Qui poſt terga tonans Aquilo, me penè necavit
Auxilio. Feror infelix, nullisque catenis
Mancipium, ventos, tempeſtatemque ſequebar.
Tempora nudus eram, Boreas in culmine, & Auſter
Regnabant ubi iure pari. Nunc tendere habenas,
Nunc pugnare genu; multaque fatigor in arte:
Nunc manibus, nunc ore nato, perque ætheris undas
Fluctuo: (adhuc ſtrident aures, abſensq; procella
Sibilat) Euripo diverberor irrequieto;
Bacchaturque Fretum ſpirabile. Veſtra carinæ
Naufragia optavi quoties ego! In ora refuſam
Excutio æoliam: & quantum permittitis auræ,
Reſpiro, rogo me, me conſulo. Jure parentem

Conſilij

Conſilij dixere metum. Subit, impete terram
Corripere: illa hyemem velox induſtria luſit.
Pronus humum legi; & cedendo, nubila vici.
Qualis, ubi fracta vix tandem littora navi
Arripit ille Maris victor, longæq; procellæ,
Hæret habens animo raucum Mare; fæda recurrunt
Naufragia; & quamquam reddant laſſa Æquora pacem
Littoribus, nondum illa oculis, nondum auribus exit
Tempeſtas; retinent totos pręcordia fluctus;
Talis eram, mecumque Alpes in Plana ferebam
Attonitus. fuge iam mœror, flendique cupido;
Terge animi curas, ſaxa obliviſcere, & imbres,
Æternasque hyemes: ad læta revertere Muſa;
Dum regio felix, dum fortunata beato
Urbs Populo, hæc prima Eridani Regina ſuperbi,
Hæc prior Italiæ facies, ſatis una ſeveram
Hactenus, excuſat Naturam, & corrigit Alpes.
Sudate egregij Artifices, operumque Magiſtri,
Maturate Urbem; meditatas induat Ædes
Nudus ager. Properate dies, quam Secula poſcunt
Auguſtam: Si quid verò promittitis Orbi
Clarum, ingens; qualem concepit CAROLUS Urbem,
Reddite: vel magni evolvens meditata Mariti,
Reſpicite, invictę quid mens, quid gloria poſcat
Reginæ. En ſpeculæ! En Turres? En terror, & ipſis
Deliciæ in Muris! formam effulgere verendam,
Et decus horrendum Portis! Pomœria totis
Aggeribus, latè arboreâ frondeſcere Scenâ;
Et redimire Arcem, & lauris proludere in Ulmis!

Urbis Mœnium eo forte tempore ambitus recens, Io. Maria Baptiſta à Sab. Regnante.

 (quis ordo!

Magnum Arcis, magnum Urbis opus. Quę pompa!
Quæ Fora! Quæ Moles! Quæ Compita! Lumina paſſim
Hæc tenet, illa rapit facies. Ubi nuper aratra
Vidimus, & lentis inverti iugera tauris;
Cernimus aerias Turres, Populumque frequentem;
Inque diem, è medijs exorta Palatia ſulcis.
At mihi non calamo vacat ire per omnia lento,
Nota oculis miſeræ Europæ: quæ ſquallida bello,
Torva videt pacem Allobrogum; diſcitque Sabaudis
Exemplis, Regnum Populo florere quieto;
Rarò felices etiam Victoribus enſes.
O qualem ante alias properant Æraria Molem
Regia! ubi bella edoctos dare poſſit Achilles:
Et pax in patrio Martes nutrire Lyceo.
Hæc tibi Nobilium Pubes, ingentia ſurgunt
Hoſpitia. Intereà dum Machina creſcit, & ingens
Metam expectat opus; qua vos Regina Palæſtra
Excipit! Armigeris aperit virtutibus Aulam:
Nempè Aulam Heroum matrem, factura magiſtram
Heroum. Laribus, ſi vera fatemur, ab ipſis
Neſcio quid magnum in venas, ac nobile pectus
Inſilit; & tacitos inſpirat ad ardua niſus.
Maximus hortator certè eſt locus. Aſpice qualem
Excepit Sobolem, qualem mox reddidit! Omnes
Unus amor ſolidæ laudis, quærendaque ſola
Virtute, ad pulcros accendit fama labores.
Non aliud bello melius Mars ipſe Lyceum
Inſtituat: Si flectendæ præcepta Sariſſæ
Arte docet; quoties dextra impellente magiſtra,
Iuravi

Bella tunc temporis tota ferè Europa ardebant, præterquam in Sabaudia.

Hippodromicum Athenæum.

Equeſtris Academiæ Alumni, Regijs Ædibus excepti.

Ludi Militares.

Juravi alatum chalybem, ſemperque, nec unquam
Effugere! ùt volat & revolat miranda per auram
Fraxinus! Illa ſciens legem, vix ſimplice tactu,
Agnovit quid dextra velit: digitumque monentem
Audijt; & celeri reſpondet ad omnia flexu.
Mox Cœlum inconcuſſa rapit; mox docta tremorem
Fluctuat; ante oculos nunc ſe manifeſtior effert;
Nunc prodit furtiva humeris; modò cruribus exit
Lubrica; nunc coluber ſerpit, modò provolat ales;
Nunc rota, nunc turbo, labyrinthum efformat in alto
Fulmineum: repetitque manum, pulſumque repoſcit
Inſatiata ioci: quippe ad nova verbera ſemper
Arte nova inſtruitur; tentatque reverſa Magiſtrum
Fallere; ſed rapidæ vigil experientia dextræ
Prævidit reditus, ac prævenit. Ille ſcienter
Volvitur, arripiens ſemper, quod ſemper in auras
Proijcit; atque iterum amittens, iterumque requirens,
Non ſibi dat requiem, non ferro. Turba choræam,
Penniger & ſaltus ferri mirata pependit.
Ipſa ſibi Bellona placet: dum tot rea cladum,
Funeſta Hectoribus, potando nata cruori
Fraxinus, haud ſævit ſemper; ſed pacis honorat
Lętitiam, & blandum manſueſcit ad otia ferrum.

Sariſſophori, ſive ſariſſa ludentis Exercitatio.

An verò non arte pari, condiſcere certet
Enſis opus? Viden ùt ſe ſe experiantur in armis!
Ferre, referre pedem; conſtare, inſtare videbis;
Obliquare orbes, & fallere vulnere vulnus.
Continuò ſubitos aditus, furtivaque damna
Tentare intenti, atque avertere: falſa minantur

Digladiandi ratio.

Vulnera, mox feriunt quà non promiſerat enſis:
Prodiga vel ſi forte ruat manus æmula; diſcunt
Vincere tela loco, ſaltuque incumbere victis:
Intentare necem iugulo: ſi vita rogetur,
Parcere; vindictæ veniam præferre cruentæ.
Oh utinam ſtrictis non hęc fiducia in armis
Tanta ſit! Extinctos hac infeliciter arte
Si memorem; Procerum flores tibi ſæpe reciſos
Regia lugebis. Dicam præſtantia ſaltu
Corpora? Saltator Gallus valet arte figuræ;
Prævalet Hiſpanus librati robore nervi;
Choreas exercentium deſcriptio.
Veſtra eſt Allobroges laus utraque; Nec leve nomen
Arte levi. Volucris perpende examina ludi:
Audit pes, loquiturque manus. Sunt fila, canora
Fræna pedum; quippe intendens, eademq; remittens
Imperioſa chelys, volitantia crura gubernat.
Nunc pleno ire gradu, nunc greſſu mandat avaro
Penſile corpus agi; nunc ut veſtigia turbet
Cæſa minutatim pes lubricus; æthere ſaltus
Det tremulos; nunc ſuſpendat, mox amputet orbes:
Turbinet, obliquetque fugas, iteretq; recurſus,
Et pulcras errorum artes. Sed non vacat omne
Scire chori genus; & varias, quas tempore eodem
Imprimit, & delet Saltator in aere formas.
Nec mihi deſcripti recitanda peritia Mundi;
Equeſtrium artium univerſarũ Inſtitutores
Rerumque, ætatumque latens Annalibus ordo
Cognitus; & variæ quæſita ſcientia linguæ;
Qui modus expugnet; tueatur, muniat Arces.
Flectere primus equos labor eſt: quos ante domandũ

Querneus

Querneus exercet Sonipes. Cum nuper in Aula,
Lignipedem mirarer Equum; quæ machina?, dixi,
Num tuus hìc ò Troia labor? Quid Sculptilis ille
Bucephalus? Stipesne, artis Præceptor equeſtris?
Nobilis extemplò, generoſus, & acer in Aulam
Exultat Puer. Ille micans, membrisque ſolutus,
Mobilitate pedum pulcher, fervensque volucri
Lætitia, eximij aggreditur diſcrimina Ludi.
Ille ubi ſpem ſaltus paulùm ſuſpendit; equino
Impiger imperitat dorſo. Mox incipit ardens
Pugna pedum. Non credideram ſic poſſe volare
Corpora: non homo, ſed volucer, non crura, ſed alas
Irrequietus agit: volat huc, volat igneus illuc,
In dextram, in lævam, totumque equitabile lignum
Percurrens, ſtando, non ſtat, ſimilisque ſedenti
Non ſedet: Antæus mirabilis accipit omnes
A lapſu vires: volitat labendo, volando
Labitur; & caſus laus eſt iterare volucres.
Non mora, non requies. dum corpus penſile librans,
Nixus utraque manu, iam decreviſſe quietem
Creditur; ebullire magis, totamque videbis
Corpoream rapida ferri vertigine molem.
Cuncta ſuper geminas membrorum machina ſurgit
Fulta manus; geminoque Polo, ceu Stellifer Orbis
Volvitur innitens; ita ſe rota corporis urget,
Stante manu, volitante pede: alternisque reducta
Bracchia, ni properent redeunti cedere gyro;
Deficiat rota, cumque ſuo cadat Orbis Atlante.
Ille tamen mihi biſſenos dedit impiger orbes,

In equo umbratili equeſtris & admirandus ludus.

Volteggiare.

Integer ad plures: niſi vox audita Magiſtri
Sponte quieturis revocaſſet ab aere membris.
Redditur ille repente Solo, virtute probata
Lætior. Hos Iuvenes, hanc ſi tua CAROLE Pubem
Tempora vidiſſent; & equos domitare feroces;
Eminus intrepida certare, & cominus haſta;
Quos ad bella Viros tua non exempla tuliſſent!
Nam tibi confeſſa eſt armis Europa gerendis
Ignoraſſe parem. Quæ ludicra ſæpe ſolebat
Armiſono dare bella Foro! Lux illa recurſat,
Cum ſemel in Pugilem decurreret. Ille receptor
Plagarum, ſolido contectus corpora ferro,
Stator homo, longæ poſtrema tenebat arenæ:
Bellantumque ſuis decorabat bracchia plagis.
Namq; omnis petere hunc haſtâ, fronteinq; ferire
Laus erat. Ergo tubas tota Mars audijt Urbe;
Conveniunt: Procerumque omnis delecta iuventus
Ponè ſecuta Ducem, fulvum mandentibus aurum
Fulget equis, phalerisque intexto ardentibus oſtro.
Vidiſſes alium, inde alium, ceu quemque petebat
Ordo Virum, rutilis ſplendentem vertice criſtis,
Auditâ dare lora tubâ; rapidique furore
Quadrupedis Fora longa rapi: intentoque lacerto
Fervere ſpem plagæ. Neque ſors erat omnibus una:
Diverſas diverſa manus fortuna vehebat.
Ille levi radens deguſtat tempora telo;
Huic vulnus rapiunt auræ; collineat alter
Intrepida, iuſtaque manu; ſed plaga ſonorem
Debilitata negat: primo ſæpe haſta triumphat

Decurrentium in Pugilem, ſive in ſtatarium hominem deſcriptio.

Correre al Facchino.

Vulnere

Vulnere, mox ictu redijt fruſtrata ſecundo.
Tum varia in varijs audiri vota faventum
Plauſibus. At vacuam quoties repetebat arenam
Regis equus; cùm Regis apex, Regisque micabat
Lancea; tunc omnes oculi, tunc omnia euntem
Vota ſequebantur; plagamque in fronte ſonantem
Lætum expectabat ſuſpenſo murmure Vulgus.
Terdenum ille rapit repetito pulvere curſum;
Terdenumque ſonat galeata in tempora telum.
Tres ſimul arreptas iaculatus ſæpius haſtas,
Tres ſimul infregit: triplex ſine cuſpide truncus
Gaudebat rediens, & ſic ſpoliatus ovabat.
Rege fruebatur Vulgus: Regisque triumphi
Plus populi, quam Regis erant. Illum ora requirunt,
Illum oculi: conſurge, volâ, tua lancea campo
Fulguret. Expleri nequeunt Ducis ora tuendo,
Fulmineasque manus. Procerum mirata iuventus,
Quantus equo aſſurgat, quantùm metuendus in haſta;
Diſcit opus Martis: ſimulatę in imagine pugnæ,
Omnia contemplans præcepta, exemplaque veri
Roboris. Ut celſos oſtentent ore furores;
Ut portent aciem intrepidi! Sic pace magiſtra,
Prælia diſcuntur. Quos illa dediſtis Achilles
Otia! Proh quibus & quantis (ſic fata tulerunt)
Exemplis AMEDEE cares! Ante ora Parentis
Qui tibi creviſſent animi! Sed veſtra, SABAUDI,
Non eſt artis opus, nec Præceptoribus ullis
Debetur, nec ſera venit poſt tempora virtus.
Jam tibi Tyrrheni, Adriaci iam littora Ponti,

Ab altiore Germania in Taurinenſem Academiä profecti Nobiles.

Arctoumque procul miſit Mare, Rhenus, & Iſter,
Indolis egregiæ Iuvenes, & magna ferentes
Nomina: qui primis ubi te mirentur ab annis;
Virtutem, & quantam non ſperent diſcere, diſcent.
His Genitrix lautas Ædes, & grande Theatrum
Extruit. At nequedum Magnæ præclara IOANNÆ
Stant opera: & quod adhuc vobis feliciter urget,
Secula neſcitis. Tot Marti aſſurgere Moles,
Prodigium eſt? Muſis non inferiora parantur.
Vota præivit opus, ſpemque expectatio vicit.

Splendidum Ædificium favore, ac liberalitate Principum.

Umbra operis, color exempli, depicta Domorum
Linea, venturo facies promiſſa Lyceo
Obruit Artifices: & dona, ipſasque Potentum
Imploravit opes. His nempe faventibus, exi
Magne labor: conſurge, decus meriture Sabaudi
Nominis; & dignas dá Phœbo, & Apolline Sedes.

dictum Sabaudum Muſeum

Ergo qui ſpeciem auguſtam, pretiumque peritè,
Ac largè ſtupet effuſum; ſpirantia faſtum
Omnia; Porticuumque minas, ſolidumque decorem
Cælatorum operum; denſis qui clara columnis
Atria, Veſtibula, atque Arcus, Statuisque decora
Limina, Romanas artes, Græcumque laborem;
Ne Muſas notet audaces. Se prodit ubique
Conditor: Auctorem Moles, & muta loquuntur
Marmora. Nec cunæ illuſtres, aut multa vetuſtis
Parietibus pendens ætas, non cognita bello
Nomina Maiorum, non plenis Secula faſtis,
Hoc tanto tibi Flos Iuvenum meruere paratu,
Et Phœbo, & Marti ſacras, & utrique Minervæ

Surgere

Surgere in Urbe Domos; ac Spartam iungere Athenis:
Splendidior titulis, & Mundo divite maior
Has meruit virtus, has virtus incolit Ædes.
Hìc te quanta ſeges laurorum, & ſemina laudum,
Si tamen ipſe Larem non dedignaris amicum
Phœbe manent! Rigidis licet experiamur in armis,
Terribilesq; etiam puerum formemus ad uſus;
Præteream armatas laudes. Commune Juventæ
Eſt furere: iraſci calamis, & currere ad enſes.
Nec te lætitiæ ſoboles, ac mater honeſtæ
Eſt meminiſſe animus, manuum divina poeſis;
Quæ citharâ ludens, & fila loquacia pulſans,
Vi blanda verſas animos, ùt pollice chordas.
Unus inoffenſo non iret Apolline, Muſa
Læſus ab immemori; qui dum teſtudine eburna
Ludit; ab Aonio trahit omnia Numina Clivo.
Pieris indulge, & cantum ſuſpende canenti.
Non aliâ ceu fila manu, tactuve fruantur;
Mœſta, ubi ſe norunt alieno pendula collo;
Ingratos ululant ingrato murmure ad ictus:
Aſt ſimul optatæ ſenſerunt verbera dextræ;
Accepere novas mutato Amphione voces.
Hic dare lætitiam fidibus, lamentaque, & iras
Arte valet. Lepido ſi vellicet indice; lætis
Subſultare animis ridentia fila videbis:
Dextera ſi pulſet moribundo languida more;
Ad queſtum erudiens, mœrorem in carmina blandum
Inſinuat; triſtique beat dulcedine ſenſus:
Si præceps manus, aut digiti variabilis error

Convictorum exercitationes tum litterariæ, tum Equeſtres.

Cæterarumq; liberalium artium.

Deſcriptio teſtudine canentis Liùto.

Diſſidium

Diſſidium in populo miſcet vocale canoro;
Ordo omnis ſubitò, & fidium numeroſa propago
Coniurata fremit; fervensque rebellio vocum
Ictibus inſultans, vel ſub tortore minatur:
Et dulces furias nec caſtigata remittit.
Sæpe ſua digitus velut artem quærat in arte,
Cunctator, timidam nervo dubitante popoſcit
Vocis avaritiam: nunc illaudabile carmen
Ceu contemptor init: nunc ſcalpere fila minantes
Decepere manus aurem, citharamq; tacentem
Audiviſſe putas; & mens deluſa pependit:
Nunc exoſa moras, atque oſtentata per artem
Otia, prodit opes omnes, & vocis & artis.
Proh divina Chelys! Mea, per tua fila, voluntas
Tum trahitur. Mœrere iubes? eſt flere voluptas:
Riſum odi, lacrymæque placent. Hortaris ad iram?
Iraſcor, nulli iratus: non læſus, amavi
Vindictam; nec habens hoſtes, hoſtilia volvo;
Tranquillusque agitor. Jubeas gaudere? Sereni
Sunt animi: ſine ſorte nova, melioreque fato,
Sum felix; nullis veniunt & gaudia cauſis.
Sic per mille vices, citharamq;, animumq; volutat
Vis manuum non una. fides premit altera lentè,
Altera percurrit rapidè: feſtina per omnem
Dextera dum volitat varians miracula chordam;
Artifices edocta moras, ſe leniùs urget,
Temperat & prudens furibundam læva ſororem.
Ceu trepidam ducens in tempeſtate carinam,
Navita, dum remos, ac circum vela volantes

Dant

Dant operam famuli ; ipſe ſedens in puppe quietus ,
Irrequietus agit clavum ; quo cuncta movente
Immoto , brevis illa natans Reſpublica fervet ;
Non ſecus extremam dum per teſtudinis alvum
Se levis argutæ rotat experientia dextræ ;
Ad fidium capita incumbens , motumque gubernans
Læva manus , legem numeris , plebique canoræ
Dat mentem ; unde oritur vocum diſcordia concors:
Nataque mortales hilarare ſcientia curas .
Sed quid , in extremo quas ponimus ordine laudes ,
Præferimus ? Solidisque leves præijſtis honores ?
Ille Orbi ingentem potuit iuvenilibus annis
Promiſiſſe virum ; tenero ſibi durus ab ævo ,
Qui tulit ingratum imperium , legesque ſeveras
Muſarum ; & moritur longam ſub Apolline vitam.
Qui feſtinatâ mentis , morumque ſenectâ ,
Virtute antevenit Naturam , & tranſilit annos .
Hunc iuvat extorrem Mundo , vacuumque malorum
Ingenij fontes , ac donum fertile mentis
Rimari , & ſermonis opes : ſe prodere in ipſo ,
Quantus homo intra hominē latitet:quas mens habet,imò
Non habeat metas : animi exhaurire profundos
In calamum ſenſus ; leges perdiſcere fandi
Pro Rege , ac Populis . Hinc vis divina Virorum :
Hinc ratio : hinc homines ſapimus . Tota furor Urbe
Obſtrepat ; ære tonet Mavors , permiſceat Orbem ;
Ipſa ſibi Mundus mens eſt : peregrina ſedendo
Fit ratio ; & peragrat Terras , & Sydera diſcit ;
Permeat ætates ; Priamique , ac tempora Achillis ,

Juventutis litteris addictæ præſtantia

Hiſtoriarum cognitio .

Et

Et te Troia videt : nec abeſt, quod abeſſe putatur.
Geographiæ facultatis peritia. Quidquid trans Maria, ac Terras longinqua rotat ſors,
Regum, Regnorumque vices, id noſtra Juventus
Ante oculos habet omne. Tuas videt Auſtria palmas,
Non audit : patet Ægeum Mare, Savus & Iſter;
Et Venetûm ingenio antevolans, ac Cæſaris arma,
Quos ſe ſe in Populos torrens Victoria flectat;
Vienna propugnata, & recuperata Pannonia. Excidij ſocias, Urbs diruta quas trahat Urbes;
Prædiſcit longè. Hàc Arces cum laude cadentes,
Hàc illegitimo labi edocet Oppida bello.
Indice quin etiam calamo, miniove rubente,
Leuc. Inſ. S. Maura. Nicop. Vrbs condita ab Auguſt. poſt Actiacam victoriam. Preveza. Coròn. Vobis Pannoniam Auſtriaci, ſtantemque Viennam
Obtritosque Arabes oſtendimus : & tua MARCE
Bella tibi : tibi Leucadiam, faſtisque ſuperbam
Nicopolim, atque omen captas ad Regna, Coronas.
Artibus his incumbe volens, lectiſſima Pubes:
Et poſtquam arcanos tibi Porticus Attica rerum
Univerſæ Philoſophiæ atque Idiomatum Diſciplina. Explicuit fontes; moresque ac munera Regni
Noveris, & quodcunque olim ridendo docebat
Democritus, vel fama tulit dixiſſe tacendo
Pythagoram; te poſtquam italus, mox francus Apollo
Nativo obſtupuit mentes ſermone trahentem;
Graphicè delineandi vſus, viris nobilibus apud Exteros familiaris. Has etiam nec crede leves, nec deſpice curas.
Gallia, quam nullæ non matrem dicitis artes,
Armigeram quoties vincendos miſit in Hoſtes,
Id primùm edocuit Sobolem. Quum deinde recepit
Victores Patria, & gladium poſuere cruentum;
Purpureum educunt lapidem, & diſcrimina pingunt
Coniugibus. Damnata priùs certamina Nati;

Mater

Mater amat: Genitorque ſenex, quæ fleverat arma,
Jam non flenda putat: dulces in imagine caſus
Lumine inexpleto, lacrymiſque fruentibus haurit.
Barbaricis ſic Nauta redux, aut Miles ab oris,
Noſſe avido Regi Tripolis miſerabile fatum
Exuſtæ, non verba dedit, non diſtulit aures;
Spectantes affata oculos, pictoria cuſpis,
Lingua fuit. Statuens illinc Mare, littora & Urbem;
Hinc in fronte locat puppes, in puppibus ignes:
Tum quæ horrenda tonans trepidas Uulcanus ad Arces
Evomuit portenta, haud priſcis cognita Seclis,
Muta docet fida interpres. Hìc pulvis ahenum
Ventrem habitat; pondusque tacet fatale: ibi parcam
Concipiens animam, ſe iuſſa ad funera differt,
Ne ſoli ſtragem generet Sibi, damnaque perdat:
Parte hac emiſſum rubet uſque ad nubila fulgur;
Et, ſi non audis, audiſſe tonitrua credis:
Hâc Cœlo attonito, & Luna pallente propinqua,
Inviſam qua parte cadant meditantur in Urbem;
Suſpenduntque metus pendentes æthere flammæ:
Parte alia fumant Arces, renovantque cadentis
Exemplum Troiæ. Picto ſermone ſecutus,
Cuncta notat: notat exuſtas ad littora claſſes,
Verſas in cinerem Turres, ac Turcica Fana,
Defixasque metu, cladisque in imagine Gentes.

Tripolis à Gallis exuſta hoc Anno 1685.

Illa etiam egregias inter non infima laudes
Venerit; ipſe ſua ſi Mars erravit in arte,
Pœnituitque operum; radio cenſore notatas
Emendáre Arces, & leges ſcribere belli.

Architectonica militaris.

Nec

Terreſtris, ac Cœleſtis Sphæræ Doctrina.

Aſtronomicæ Diſciplinæ.

Nec pigeat ſpatia immenſi percurrere Cœli,
Partirique vias Anni; certisque ſecare
Climata limitibus: quin legibus ipſa ligabis
Aſtra tuis. Te inconſulto non ulla vagentur
Sydera; non uno varium tua lumina puncto
Fallat iter Lunæ; maculas abſcondere turpes
Nec ſperet. ſcrutare ſuis quid Sydera peccent
In domibus: lege Regnorum pendentia fata;
Qua face conſurgant peſtes; quis ſoſpitet Orbem
Aſpectus: Stellas explorâ, & iudice vitro
Cogito ad examen, moresque, & crimina damnâ.
Nec labor ingratus fuerit, nec parva laborum
Prœmia; lege tuâ, ducentem tempora Solem,
Ducere. Scribe diem Muro: lucisque fideles
Da comites umbras: umbræ morientibus horis
Ætatum accuſent, vitæque volucria damna:
Edoceantque, uno cum ſtent Mortalia puncto,
Quid ſit,quod vivant Homines: Monitumq; ſalubre,
Laude remanſura, & nunquam virtute caduca,
Edoceat iuges Ævi reparare ruinas.
Hæc decora, has artes, & quas Sapientibus olim
Non niſi ſera ætas, emenſusque attulit Orbis
Mentis opes; primo hìc quicunque adipiſceris ævo,
Utere ſorte loci. Senibus quod Græcia quondam,
Nunc domus eſt Pueris. Citò nata, citiſſima ſurge
Expectata domus: metam promitte labori
Non lentam. Aſt quando Laribusq; & honoribus auges
Fortunam Muſarum; haud obliviſcere honores
Reginæ. Auguſtum Nomen ſublimia iactent

Limina

Limina. Vos Arcus, vos ornatura diſertas
Marmora viva Fores, virtutum inducite vultus;
Inclyta magnanimæ vulgat quas Fama IOANNÆ.
Vocem habeant ſcripti lapides: victuraque Seclis
Alta opera enarrent ſculptoris acumina ferri.
Dicant ùt geminum Regali ex Arce Theatrum
Complexa, hinc bello, hinc paci, Regina, & Amazon,
Educat Heroes: hinc durat corpora bello,
Hinc mulcet Studijs animos: hinc pectora munit,
Hinc capita: Ut legum, morumque acerrima Vindex,
Ullam non habuit ſolo cum crimine pacem:
Ut non adverſis trepidam, tumidamve ſecundis,
Agnovit ſimilem Sors utraque! Ut inſcia flecti,
Bellaque, bellorumque minas interrita luſit:
Ut Populorum altrix, & provida mater egentum,
Deterſit Regni lacrymas; triſtesque beavit
Ærumnas, reddens miſeris optabile damnum!
O ſtella Italidum! Populis exorta iuvandis!
Optima Regnantum, fortunatiſſima Matrum!
Vive bono Allobrogum. Tuque ò Flos inclyte Regum
VICTOR, conſilijs qui Dædalus, Icarus annis,
Cuncta regis; iuvenisq; manum non Regna tremiſcunt;
Perge incrementis maioribus. Undique Mater
Gaudet ſe vinci. Vix fræna capeſſere rerum
Incipis; & quiſnam curſu meliore rotari
Non ſua fata videt? Quanta eſt oracla ferentum,
Iuraque dicentum Populis, te Rege, poteſtas!
Quis decor armorum, quanta expectatio Martis
Te Duce? Par etiam ſpes, & fortuna ſequatur

Caſtrum Regium hinc Equeſtri Academiæ, inde Nob. Collegio contiguum.

Aonides


Aonides . Semper Muſæ moderatiùs optent:
Et referant votis ſemper maiora modeſtis .

RIPULÆ.

SEcuſij ad fauces , ubi primùm erupit ab Alpe
Gallus , & optati reſpirat ad oſtia Cœli ;
Lætitia improviſa loci teſtatur adeſſe
Italiam: invidit Terris felicibus hoſpes;
Urbs in limine Italiæ, Suſa.
Fulgentesque Ducum Sedes , ea prima latini
Splendoris monumenta legens , & iure ſuperbum
Admirans Italum ; ſpectando in Rure moratur :
Poſtque vias triſtes , & acerbi incommoda Cœli ,
Grande tulit pretium , Regnum aſpexiſſe beatum .
Annibal hanc olim miratus creditur Oram ;
Cùm Fera perpeſſum , Regni felicis amore
Suaderet graviora pati diſcrimina Pœnum :
Expugnare iugum ferro ; per viſcera Montis
Velle viam ; glaciem flammis , Elementum Elemento
Vincere ; non illis notum cervicibus ante
Ferre rogum , medijsque accendere in Alpibus Ætnam.
Nam ſi pinguis ager , quantùm inſatiatus arator
Neſcit avaritiam ; neſcit quoque Juppiter iras ;
Divitiasque Solo , Cœli indulgentia ſervat .
Turres bellicis tormentis munitæ.
Summa Domus dominata iugo , munitaque Marte
Fulmineo, elatis imitatur Turribus Arcem .
Quò licet aſcenſu lentè conſurgere molli
Viſus apex ; ſuperante loco , latè omnia in arva

Imperium


G. Tasniere fec. Taur.


Ripula
G. Tasniere fec. Taur.

Imperium eſt. Circum ſubiecta Penatibus altis,
Dives opum, pollens Populo, imperterrita bello,
Dictaque ab arboreis, nigrante crepidine ripis
Ripula, in antiquæ ſpeciem protenditur Urbis.
Deſuper, hinc Speculę, hinc Turres, Hortiq;, Laresq;
Et viſenda procul patefacto Machina Cœlo.
Cui ſe ſe procul in gyrum centum Oppida, centum
Oſtendunt Villæ inſignes, Urbesque repertæ
Liberiore Polo. Taurini Mœnia ab Ortu
Proſpicis, & Rura urbano candentia Colle.
Latiùs excurrens quà ſe porrexit in Auſtrum
Planities; opulenta Ceres Regnum explicat ingens:
Quà patet occiduas devexum culmen in oras,
Frugiferos Colles Autumnus vitifer umbrat.
Ad Boream, feritate ſui deterrita Cœli
Duria cum ſonitu properat; vicinaque radit
Littora, nec tanto fertur magnæ Urbis amore;
Quin celeres, Rura hæc dum præterit, arguat undas:
Et ſpectatrices ſiſtat cum flumine Nymphas.
Cumq; peregrino radiet Domus intima luxu;
Nil Mare Erythreum, nil fulvus miſit Hydaſpes;
Aurea nec Pelago venere Aulæa Britanno.
Prodigijs veſtire omnem promiſit Apelles,
Conveſtitq; Larem. Mille artis priſca reliquit
Non imitaturis monimenta Nepotibus ætas.
Ite procul flavi Ganymedes, ite Dianæ
Immundi, & nunquam ſine vero Actæone fontes:
Ite cupidineæ, molliſſima tela pharetræ,
Fœmineiq; Joves. Non laſcivire colori

Ripularum Civitas.

Patens undequaq; in longinqua proſpectus.

Fluvius Taurini Mœnia pręterlabens.

Periſtromatum ornatus ferè nulli Picturis penitus inſignita Domo.

Permiſſum. Tabulis Venus exulat omnibus: arma
Mars agitat; Lare tranquillo pictura ferocit.
Et pingi potuere animi: color induit iras;
Ora gerunt odium; teſtantur vulnera motum;
Atque ipſam potis eſt animare induſtria mortem.
Principis eſt Aulæ princeps decor. Undiq; lentis
Occurrunt oculis Amedei prælia Magni,
Magnaq; non paucis illata pericula Regnis.
Utque Aulis Aulæ, ſic bellis ordine bella
Succedunt, Ducibusq; Duces, & Secula Seclis.
Jam pridem hìc, ætate vigens dum vita maneret,
CAROLUS, & multam rauca procul Urbe quotannis
Falleret æſtatem; vacuis conſueverat horis
VICTOREM Natum Conclavia ducere circum:
Deſcriptas legere ætates; ſermone iuvare
Mutam artem; cunctosq; colorum exponere ſenſus.
Jamq; notare manu vultus; iam voce docere
Nomina. Cui Solymæ, aiebat, chlamys, armaq; Signo
Irradiant, albæq; Cruces, ſancti omina belli;
Hic prior inter Avos, cui bello cognita virtus,
Par pietas, & quæſiti trans Regna triumphi,
Nomen emunt Magni. Qualem agnovere redactæ
In iuga tot gentes! Juſto ſeu plura petentem
Funderet Humbertum; armato ſeu iuſta negantem
Guillelmum; aut cæſi fatum celeraret Adulphi!
Qualem Oriens vidit! Dominis cum feſſus iniquis
Quæreret invictam ſolvenda ad vincula dextram!
Hàc pelago dare vela vides; hàc ducere claſſem;
Hàc ruere in Thraces, Crucibusq; invadere Lunas:

Carolus Emm. II. Amed. II. Parens.

Amed. V. cognoment. magnus cæſo ab Othomanis Rhodiorum Equitum Magiſtro, eius inſignia rogatus in ipſo prælio aſſumpſit. Humbert. Delphineum & Guillelmum Montisferrati March. debellavit & Alberto Auſtriaco in Adulphum de imperio contendentem, in acie cæſum adfuit.

Parte

Parte alia, ratibusq; rates, confixaq; roſtris
Roſtra peti: en Mauri iugulis inſtare Tyranni
Magnanimum Allobrogem! En Populis,& claſſe potitũ
Regnorum gravidam ſpolijs, ſcelerumque refertam
Divitijs Aſiam, Rhodios advertere Portus!
Nec ſatis hoc operum: quippe uni inſiſtere palmę
In Magno lentum eſt. Terras, ulto Æquore, inultas
Non ſinit. En iterum totis concurrere ſignis,
Et petere ingentem, atque ingenti ſternere plaga
Regem Arabum! Hic terrâ effuſum ſuperimminet, alté
Conſurgens; fruiturq; manu, ſecurus honorum:
Ille ferox, immane iacens, formidine in ipſa
Terribilis, totas in mortem convocat iras;
Et ſemper visâ ſemper fremit horridus haſtâ.
Aſt non indecorem laqueis,& Torque micantem
Virgineo, viridem criſtis, gladijsq; cruentum
Nate vides? Mars ille ſui clariſſimus ævi;
Cuius Abidenæ tremuere Inſignia Turres:
Quem voluit ſibi Roma caput, cùm creditus alter
Annibal ad Cannas, & ad Argos alter Achilles.
Quis captas Urbes, demerſaq; ſanguine Caſtra
Enumeret? Vivas percurre in imagine pugnas;
Inclyta ubi memores narrant exempla colores.
Cerne per obtritas acies, per funera Thracum,
Hàc aperire viam palmis: hàc Arce potentem
Gallipolim; & rapere ereptas Prædonibus oras;
Servariq; iugo, quodcunque ſuperfuit enſi.
Illic Bulgaricæ lugentem probra catenæ
Eripere Auguſtum fatis, Solioq; receptum

Turcicæ claſſis Præfectum proprio ferro mactavit.

Terreſtri prælio ſua manu Saracenorum Regem interficit.

Amed. VI. cognom. viridis, ordinem equeſt. inſtituit, torque aurato laqueolis intexto titulo Annunciatæ.
Victor Helleſpontum ingreſſus.
Circa veteres Cannas pro Andegavenſi hoſtes afflixit.
Gallipolim, aliasq; Vrbes recepit, deletis Thracibus Joannem Imper. è vinculis Carlovici Bulgariæ Regis liberatum ad

Ar

unionem cum Eccl. Romana per vim reduxit.

Argolico, inviſæ per vim ſubmittere Romæ.
Proh Superi! Godefridum alium, ſi fata ferebant,
Vidiſſent Solymæ. Votis ingentibus ætas

Cũ expeditionẽ hieroſolymitanam animo concepiſſet, Neapoli obijt.

Defuit, & Portu ſolventem vita reliquit
Parthenopes. Cupidas acies huc flecte. Parentem
Par Soboles, Viridem Ruber excipit. Anglia teſtis:
Illius ùt ſtricto demeſſuit agmina ferro;

Amed. VII. cognõ. Ruber.

Creſſiacâ ùt ſtetit in pugna; quos ceſſit honores
Burburgum; ternos ùt lux tulit una triumphos.

Regẽ Francorũ in Anglum iuvit

Altiùs hæc memoranda tuæ defigere menti
Mens agit. Obſeſſi Gallo oppugnante Britanni

In obſidione Burburgi in Flandria tres Principes ſingulari certamine ſuperavit.

Pacem Urbi petiere brevem: tutique ſedebant
Hinc Populus poſitis, illinc Exercitus armis.
Mos erat intereà, ſi quos efferret equeſtris
Gloria, certatim medio ſe prodere campo;
Veraque ſanguinei tentare pericula ludi.

[illegible]

Ergò dum belli pendet mora; protinus alta
Præcipiti Bellator equo decurrere ab Arce:

Primus provocator ex Anglis.

Qui procul audiri ùt potuit; quis ſomnus in armis
O Galli? Nunc tempus, ait, nunc promere vires;
Palmam ubi conſequitur virtus, fortunaq; Martem
Nulla regit: ſua quemq; manus, ſua lancea laudat.
Si mecum eſt animus, paribus concurrere telis;
Hæc omnes vocat haſta. Simul tuba concrepat alto
Aggere: clangorem aura ferens, & nota minarum
Indicia, extemplò Tentoria turbat; & audax
Corda tremor pulſans, ſtimulis ingentibus urit.
Poſcere equos, rapere arma citi, dare lora volantes
Contendunt; primi ùt vacua potiantur arena.

En

En campo micat ante omnes Amedeus aperto!
Me petit iſte, inquit, pulvis meus: Ilicet obſtat
Circumfuſa manus Procerum: Rex ipſe calorem
Improbat: incerto nolit ſe credere Marti;
Regalemque animam ſola pro laude paciſci.
Sed nihil excutiat Martem de pectore: ridet
Anxia verba, hoſtemque ſibi averſatur amorem.
Præſertim ingentem cum fama reportet in armis
Stare Ducem, magni ſpes eſt concepta pericli;
Offerriq; ſuo dignum putat enſe cruorem.

Amedeus Rege ægrè ferente, Anglo occurrit.

Finge tibi undantem fervere in Mœnibus Urbem;
Effuſas Domibus Matres, ægrosq; malorum
Immemores, avidosque senes, & vulgus inermum:
Hi capere aerias Turres, illi alta laborant
Culmina Portarum: ſummis pars plurima pendet
Aggeribus, reſonumq; premit denſiſſima Vallum.
Nec minor in Caſtris palantes incitat ardor
Præcipitare, coire acies: ſe ſe undique denſant
Paſſim Equitum, Peditumq; globi, volucresq; manipli.
Agmina prima tenent haſtæ: diſcedit equeſtris
In geminum bina ala latus: pars cætera captis
Ferveſcit tumulis; gladiosq;, & ſcuta reclinans,
Ora levat. Medio Rex Carolus aggere proſtat
Celſior, & circum ſtimulos Primoribus addit;
Acribus incurrant Anglis; Fortiq; Sabaudo
Gallica ſuccedat repetendo pulvere virtus.

Ecce autem extremum procul æra britannica ſignum
Prima dedere: dedere tubæ reſponſa Sabaudæ.
Accepere Viri ſonitum: mox æquora curſu

Mutuus incurſus haſta certantium.

Corripiunt nimbo ſimiles, ruptisq; procellâ
Fulminibus. Non tunc oculi, non ora moveri
Spectantum: Voces ſuſpenſæ, & preſſus ubique
Spiritus: uſque adeò intentis obtutibus hærent;
Quid mora parva ferat. Dubio in diſcrimine pendent
Spes trepidæ. Obliquo non illi tendere gyro;
Seque negare parant venienti in pectora Telo;
Fronte ſed adverſa, adverſisque in ſcuta feruntur
Cuſpidibus. Non ſi ruat Æther, Terra dehiſcat;
Horridiore Elementa ſonent concuſſa fragore;
Quam cùm collectas furibundis curſibus iras
Exonerare, datum eſt. Crepuere umbonibus haſtæ
Terribiles: præfractæ acies, diſiectaque Cœlo
Æra volant, & mille micantia fulgura rumpunt.
Anglica, quę Argivum ſtraviſſet pinus Achillem,
(Tantus in hoſte vigor) nulla hìc in Achille Sabaudo
Tum fuit. Ut vento turris, ſcopulusque procellæ,
Hæſit; virtutemque manus, conſtantia vicit
Pectoris. At dextram allobrogem perferre Britannus
Nequicquam toto connixus corpore fidit.
Non etenim abruptæ vis in Duce deperit haſtæ:
Sic quoque fracta valet. Dubitantem cedere, cogit:
Obicibus clypei evictis, reliquaque ſecutus
Abiete fortunam, premit alta in caſſide truncum;
Perque viam lucis quęrens ſine cuſpide fruſtra
Mortis iter; terræ afflictum ſuper arduus inſtat;
Dure Vir, audacem hanc animam, viresq; ſuperbas,
Quas non horruimus, non odimus: utere vitâ,
Digne mori; at belli mihi debita legibus, inquit,
Captivus dabis arma. Hęc inter, & Anglia mœſtum
Dum

Dum fremit; & lætos attollit Gallia plauſus;
Ecce tibi effuſis Heros micat alter habenis,
Ingens, horrendus ſpecie, atque inſignibus armis:
Qui procul incluſis galea crepitante querelis,
Digna, indigna loquens; Victoris ùt ora Sabaudi
Adversùm ſtetit; heu brevibus gaviſe triumphis,
Succubiture meis! Quantùm tua fulminet haſta
Vidimus: at valeat ſi quidquam hæc noſtra Securis,
Ocyùs ediſces. Hæc Anglus; at Allobrogum Dux
Subridens, ſolaque manu reſponſa daturus,
Digreditur paulùm: inde, ùt erat tunc uſus in armis,
Haſtæ ſubſidium penderet ut aſcia fractæ;
Actutum hanc rapit, hac Hoſti ſe interritus infert.
  Nuſquam ullis fuga par pedibus, par impetus alis,
Dexteritas manibus, vigor armis, Viribus ardor
Par fuit. Hàc, illác, rapida vertigine ductis
Congrediuntur equis. Circumire, redire, inimicas
Ferre, referre manus, in frontem, in terga, nocendi
Veſtigare vias omnes, artemque, furoremque
Ingeminare, minasque minis, damna addere damnis
Is labor eſt. Simili non hi curſore feruntur;
Et paria imparibus membris non arma gerentes,
Tollunt diverſas diuerſa in caſſide criſtas.
Attamen hos ubi conſertos, curſusque, recurſusq;,
Et volucrum rota multa pedum commiſcuit; ater
Confuditque oculis ſublato pulvere nimbus;
Jam neq; tela manum, neq: produnt tempora pinnę;
Non Equitem diſtinguit equus. Globus omnia volvens
Una in nube rapit. Tantúm tinnitibus æther

Innovatum certamen ſtrictis ſecuribus de more tunc temporis Equitum.

Intonat

Intonat incluſis; galeæque, & ſcuta gemiſcunt.
Ceu cùm fumiferis ſonitum dant æra caminis:
Aut tonitru dudum rupto cùm denſa procella
Mugit iners; iterum,atque iterum per nubila cęcum
It murmur, creberque malis micat ignibus æther;
Non ſecus horriſonâ dudum caligine ſęvit
Tempeſtas plagarum: ictis Cœlum intremit armis:
Non intermiſſis igneſcunt æra favillis.
Interea nullis oculis ſpectabile bellum
Dum ſpectant omnes oculi; nec corpora, at umbras
Belligerare vident; & utrumque in utroque requirunt;
Intentus quid quisque ſuis promittere votis
Debeat, auditos anceps palleſcit ad ictus:
Ambiguam ambiguo ſpem ſuſpenditque timore.
Judicium expectant dum temporis; arduus altum
Creſcere equum ſuprà, diductum attollere ferrum,
Et magnâ vi ſublatam,maiore relapſam,
Exonerare repente manum, nondum agnitus Heros
Cernitur: Horrificus plagam fragor, inde fragorem
Velox inſequitur collapſo Heroe ruina.
It clamor Cœlo, ſubitò compreſſus: opaca
Nube latens victor, tanta expectatio, pendens
Exitus, & certi fortuna incerta triumphi,
Detinet arrectas per ſumma ſilentia gentes.
Cunctandi mora parva fuit. Citò lite dirempta,
Inclytus emicuit rupta caligine Princeps.
Quis ſubitos plauſus, erumpentemque locutus
Æquet lætitiam? At nondum feſtiva quierant
Agmina; habet campum iam Tertius. Hanc etiam audi
Nate

Nate vicem, & iugem terno diſcrimine palmam.
Ille volantis equi, ceu fulminis incitus alis,
Venerat arva ſecans; mediam ſed adeptus arenam
Deſilit, & nudo Victorem provocat enſe.
Iſte nihil differt: ferte, oh ferte, increpat, enſem,
Ferte citi. Loricam humeris, ſimul ærea demunt
Tegmina temporibus: mox ùt notiſſima fulſit
Cæſaries, faciesque Sabauda, & flava iuventus;
Hæſere, & victi non erubuere Britanni.
Sed magis, atque magis, tanti ambitione triumphi
Æmulus erigitur Princeps; carpitque morantem
Jam bis victorem; ignarus quid poſſet in illa
Mucro manu. Norant Itali, Rex norat, & omnis
Gallia: cum gladium res poſceret, annuit ultrò;
Et nemo haud dubiam eſt auſus contendere palmam.
Quid moror? Ille ſagax, & non virtute petendum,
Marte fatigatum longo, ſed robore vinci
Poſſe putans; omnes brevia ad conamina vires
Advocat. Huc, illuc, ſine lege volubile ferrum
Irrequietus agit. Regit at malus arma magiſter,
Cùm regit arma furor. Mille aufert vulnera ventus;
Mille neces pereunt. Hic contra viribus utens,
Quas virtus, non ira dabat; non proijcit ictum:
Inſtat præceptis: nec habens in laude furorem,
Principio in ſe collectus, vim ſuſtinet arte;
Divertit dexter, declinat tela ſiniſter;
Et paſſim exerrans, oculo vigilante, manuque;
Quærit, ubi primo litem definiat ictu.
Nec mora conſilium differt. Conſultus apertum

Certamen tertium diſtrictis gladijs.

Rubra cæſaries, unde dictus Ruber.

Dat latus; inde ictum venientis, acinace ſubter
Diſtrahit obliquùm torto: medioque ruentem
Corpore deſtituens, greſſum pede promovet uno;
Anticipatque priùs, quam crura recolligat, Hoſtem:

Burburgū ſtatim deditum.

Mox dextram lævâ, armatam robuſtus inermi
Corripiens, inſtat converſo in pectora ferro.

Humbertus in Solymarū receptione victoriarum particeps.

Ne luctere ferox: dedimus nil ſanguinis, inquit,
Nil petimus: tantùm victorem agnoſce Sabaudum.
Haud primus, ſolusve iaces. Ferrum ille, pericli
Conſcius, & tanto compulſus Nomine, ceſſit.

Philippus ſine ſolo ità dictus ob perpetuas bellorum expeditiones.

Oh decora! Oh palmæ! Simul Urbs committitur ultrò;
Confeſſa huic uni, nequicquam obſiſtere Marti.
His ergò evolvens Genitor bella extera dictis,

Thomę ope ſingulari Cōſtantinopolis Alexio Tyranno ſublata.

Quæ deinde Italicis Amedeus geſſerit oris;
Quas Iuveni virtus, quas fama ſubegerit Urbes;
Hærentem Natum vario ſermone trahebat.

Petrus ob rerū geſtarum magnitudinē alter Carolus magnus nuncupatus.

Omnia quin etiam relegens Simulacra Parentum,
Terrores Aſiæ Humbertos, Orbemque Philippis
Anguſtum, Argivis fatalia nomina Regnis
Fulmineos Thomas, Magno prona omnia Petro,

Thomę à Sab. virtute ac conſilio Albigenſes obtriti, & ad leges redacti.

Et nimiùm faciles bellorum curſibus Alpes;
Nunc æſtum Albigeæ reſtinctum ſanguine flammæ,
Nunc Quintiniacę miracula pandere pugnæ
Sueverat, & quidquid præclarum Secula condunt.

Victoria memorabilis ad S. Quintinum ab Em. Philiberto relata.

Regius hæc Infans intentis auribus altè
Arripiens, omnes animo relegebat, & omnes
Concipiebat Avos: Seque admiratus in illis,
Aptabat teneras ad facta ſimillima vires.
Horrida Sed pulcris quianā confundimus? Aut quid

Claſſica cum Zephyris, cum floribus arma? Theatrum
Verte Thalia, & Floræ Aulam Bellona relinque;
Extra Tecta vocant Horti: iuvat ire: renidet
Floriferæ quàm multa Deæ, quàm læta ſupellex!
Quantaque odoriferam commendat gloria prolem!
Duplex in medio Collem diſcriminat Horto,
Metas, atque vias æqualiter ordine ſervans
Sylvula; pulchricomæque Ulmi, cultæque Cupreſſi,
Multiplici longum ferientes æthera cono.
Hìc Oleæ neque Neptuno doluere remoto;
Nec vicino Aquilone timent; ſed utroque fruuntur
Invito. Libycam Citrus non quæſijt oram,
Nobile nacta iugum: vigiles ubi læta Dracones
Ridet, & heſperios ſub amico Alcide timores.
Tu quoque felici non parvam in culmine laudem
Liber habes. Sub pampineæ laquearibus Aulæ
Sceptra tenes: ubi Flora tuos ſpatiata per arcus,
Victaque divitijs, pretioſius invidet aurum,
Atque oſtri melioris opes: Vindemia labris
Inſultat; populusque rubens, & penſile nectar,
Importuna ferum movet in ieiunia bellum.
Sed laus prima loci Cœlum eſt. Hìc prodigus imbrē
Intempeſtivâ non fundit Aquarius urnâ;
Nec furit æſtiferâ latrator ſirius irâ.
Non hìc mane rigens, nec acerbus veſper: adultam
Sedimus in noctem; ſomni cum ſæpe teneret
Immemores, reſonis inventa Penatibus Echo.
Namq; ubi conceſſæ Sedes, & munere Regum,
Nobilium lecto fulſere cacumina Cętu;

Tran-

Ripularum ædes Coll. Sabaudi Convictoribus per Autumnales ferias Principum liberalitate conceſſæ.

Lepida præ ipſis ædibus echo.

Tranſigeret dulces cum lætâ per otia menſes;
Otia defeſſi ſperata laboribus Anni,
Digna loco Pubes; primâ dum nocte ſilebant
Omnia; certatim rupes audire diſertas,
Promptaque ab attentâ reſponſa capeſſere caute
Ardor erat. Quidquid mens ſuggerat, oraque dictent;
Ediſcit ſine mente lapis, ſine gutture reddit.
Jam velut incluſo mittentem carmina vate,
Jam de conſulto repetentem dogmata ſaxo,
Garrula ſimplicitas ſtupuit: gaviſaque falli,
Fallitur, & plaudit. Se vox ſtupet ipſa loquentem:
Seque reverſuram expectans, è marmore ad aurem
Verba retorta legit, quæ ſcribit in aere ventus.
Sic alia, atque eadem, ſe lingua affatur, & audit:
Quæque tacet, loquitur: clamoſa ſilentia ridet,
Et iocus ipſa ſibi eſt: ſermonum ſemine iacto,
Illico multiloquam mirata reſurgere prolem.
Sic & larva loquax, ſic filia rupis, & umbræ,
Aeris, & linguæ, nulli quæ viſa loquentum,
Audit, & auditur; contendere pluribus una
Par erat: & vocem ſuperabat imagine vocis.
At ſi forte dies non eſt innoxius omnis;
Et breve non auſis hæc lædere Rura procellis
Jus datur; hac Cœlum veniam mercede meretur;
Prodigio monitore loquens. Stat penſilis Augur
Haud procul, has circum nomen ſolemne per oras
MARRIO. Fatidicæ ſpeciem mentita Sibyllæ,
Fune ligata comam, demiſſaque fornice ab alto,
Quernea fœmineum ſuſpendit machina buſtum,

Iavenij Ad dignoſcenda tempora familiare portentū

Mobile

Mobile corpus agens, & ſunt oracula motus.
Namq; Lare in medio circumvaga Temporis index,
Hinc pluvias petit, inde Notos: Hac pendula Soles,
Hac vult parte nives. Ubi libera reſpicit Auſtrum;
Nubila ſint quamvis, pendenti turbine nullas
Horret Arator aquas: Solem tranquillus apertum
Expectat; truncoque magis, quam credit Olympo.
At ſi nubiferis deſcendere ab alpibus imber
Cogitet; indignans avertitur: ore inimicum
Deſignat Boream, meditataque damna revelat
Nimborum interpres, taciturnaque Vatis imago.
Tum quoque nulla fides Cœlo; non viſa timentur
Nubila: Venator nemorum, Piſcator aquarum
Irrita vota dolens, vel claro Sole, ſerenum
Deſperant. Sed non aliàs manifeſtior unquam
Ira Jovis; quam cùm Ventorum incumbere bella
Impatiens præſentit Anus: tum Solis ad ortum
Verſa, diu tremit; inque ipſa formidine conſtans,
Lumina non flectit, non parte recedit ab una;
Ore vocat nimbos, inviſaque flamina poſcit;
Quodque horreſcit, amat; donec non fallere ſigna
Conſtitit: erupere, atque æthera turbine rauco
Corripiunt, miſti, miſcentesque omnia Venti.
Tunc & Tyrrhenum quantùm procul æſtuet Æquor,
Nautarumque videt miſerans diſcrimina Paſtor.
Quum tamen occiduam revolubile pondus in oram,
Spirat ubi ignivomo Tectum deforme camino,
Flectitur; haud ullæ valeant avertere vires;
Quin iterum, atque iterum redeat, ſemperq; negato

Ob-

Obſtinet ora foco: Vulcano avertere neſcit
Lumina, vultque nives, glaciemque exorat ab igne.
Hoc adeò in vultu (ſeu tantum induſtria poſſit,
Seu Natura loci) Cœlorum perlegis iram:
Conſulis Aſtra domi: certis ubi ſydera ſignis,
Veridicum ficta poſuere in imagine teſtem.

Repentina declivitas, & in ſuccedentia ſibi Viridaria deſcenſus.

Aſt iterum me Flora vocas; ubi lene cacumen,
Sub pedibus fugiente Solo, nova Rura gradatim,
Atque alijs alios ſuccedere conſpicit Hortos.
Inde iugo ſenſim moriente, in prata voluptas
Egreditur. Subeunt Saltus, & amœna Ferarum
Luſtra: ſtrepunt avibus Sylvæ, ripæque ſonantes:
Quadrupedumq; frequens, Venantum ſegnibus armis,

Reſervata Principi Venatio.

Turba latebroſis inſultat libera campis.
Namque illos vetitum canibus violare receſſus;
Nec laqueo inſidias, nec glande parare volucri
Funera permiſſum. Fruitur Vicinia pace.
Deſerit antra lepus, iuga turdus, inhoſpita perdix;
Atque omnis bipedum ſoboles, & alumna propago
Sylvarum, Cœlique, manu ſe Principis una
Poſſe mori gaudens, non horret nobile lethum;
Nec dare quæſitum per Regia tela cruorem.

Collegij Sabaudi Convictoribus non interdicta.

Palladijs, Tu ſola, vacant dum Tempora curis,
Muſarum, atque Italę quę lux formoſa Juventę,
Creſcis ad alta Phalanx, longum venatica tractas
Arma per Autumnum. Vobis cum Principe veſtro
Communes Sedes, communia gaudia. Pulcris
Arcubus aligeras iaculari diſcite mortes:
Indulgete Ducum ſtudijs: tum forte volantum

Si

Si prædæ lubeat, prædas ſimul addere nantum;
Haud procul hinc bimarem referentia ſtagna Corinthū
Invitant; geminique Lacus, quos ripa diremit
Exigua: ùt parvus bina æquora dividit Iſthmus.
Nec pigeat caſſes, nec in undam mittere naſſas;
Sunt illis ſua lucra: iuvat ſpectare trementes,
Eductos in Cymbam, aut nuda in littora tractos,
Deficiente anima, cum deficientibus undis,
Molliter enectos, & ſano funere piſces.
Pręda minor, tener Alburnus: ſpernuntur Alauſæ;
Nec niſi quæſitæ plebeia ad fercula Tincæ.
Et muti Lupus ille gregis, populator aquarum
Lucius, ac tenero, qui viſcere grata miniſtrans
Pabula, furtivis Capito inſidiatur ariſtis,
Non iſtis meruere mori, non vivere in undis.
Te ſquammoſarum Dux loricate cohortum,
Lemanique lacus, princepsque binominis Iſtri,
Huius Aſelle natator aquæ, te retia ducunt
Noſtra, moras præda penſantem divite longas.
Vos quoque delicię menſarum, argentea terga
Stellatę, & nulla nociturę cuſpide Tructę;
Oviparâ tu nec Barbus pręping uior alvo:
Aut de nobilibus male non meritura coquinis
Sperneris Anguilla, aut Murenula digna placere
Regibus, auratasque inter ſplendeſcere lances.
Tum liquidæ per aperta plagę, vel propter amœna
Littora, ſi celeres amor eſt impellere cymbas;
Sint licet ampla ſinu, tempeſtatumque capaci
Cęrula turgeſcant fluctu; nunquam aſperat undas
Ira

Ira Noti. contenta nives regnare per altas;
Subter aquas humiles Aquilonum flamina temnunt.
Non itá Verbanum memini Vada tuta carinis
Promiſiſſe Lacum. Sulcabam vela daturus,
Quò Borromęis longè ſpectabilis Hortis
Inſula, ſpe pulcrę ſtimulabat carbaſa metæ.
Cumque tumore levi Boreas attolleret undam,
Pallentes circum Socios, Nautamque miſertus
Ridebam timidum. Non prælia noſtis, & iras
Ventorum, aiebam, & faciem Cœlique, Mariſq;
Confuſo cum miſta ſonant Elementa fragore,
Et Mare ſe Cœlo, ſe Cœlum immiſcuit undis.
Nec mecum Herculeas tranaſti Navita cautes,
Quæ Freta naufragijs ſcelerata, furentia vici
Fluctibus, ac ventis. Qui montes vidit aquarum,
Non pavet hos fluctus. Sic me imprudentia tutum
Fecerat. Ah miſeri! Graviora pericula ſæpe
Audendo ſuperamus; & in leviore perimus!
Quem penitus Cœlo adverſo, Oceanoq; fremente,
Vincere conatę, me non vicere procellę;
Imbelles ſuperant undę. Furit ira maligna
Fluctibus in parvis: Pelagoqne optabilis aura,
Fert hìc naufragia. Heu rebus ſuccurrite lapſis!
Frangite aquas, date vela Noto (de puppe Magiſter
Conclamat) rapimus ni proxima littora, vicit
Tempeſtas; ſuperamur aquis: mors atra fugaces
Prævertit; mediumque vię, meta ultima vitę eſt.
Continuò obliquare ratem, ripaque potiri
Nitimur: infeſti non ceſſant undique fluctus

Inſulæ Borromeæ in Lacu Verbano ædibus, Hortiſq; percelebres.

Diſcrimen Verbano in Lacu.

Ultima

Ultima conari; rabidę inſultare procellę:
Et veluti bello victam cùm prendimus Arcem,
Sic ſuperare feri certant, & mergere fluctus;
Merſiſſentque ratem: ſed dum latus obruit unda,
Adverſumque ſuperveniens levat altera dorſum;
Addita damna iuvant; arcetque ruina ruinam.
Ipſę poſt undam Syrtes iuvere carinam:
Et ſcopulus fortuna fuit. Fodit impete proram
Forte latens, & acuta ſilex: miſera illa fatiſcit,
Sciſſa gemens: intrat rimas inimica per omnes
Tempeſtas. Ah! Si qua Polo clementia Divûm;
Numina ſi ſerò poſt ipſa pericula poſco,
Parcite: Vel medio lacrymę ſi in funere quidquam,
Et Promiſſa valent ſolvenda fidelibus Aris;
CAROLE, Verbanę, quem Cœlum pręficit orę;
Nobiliùs da poſſe mori: Rape fluctibus atris
Cœleſtes animas: Neque ſorbeat unda precantes.
Hæc ſupplex: formido pium, pietasque timoris
Expertem facit. Ipſum ultrò ſtimulantibus Aſtris,
Provoco naufragium. Ne fluctibus hauriar, ipſos
Vi feror in fluctus: Saltuque latentia ſaxa
Arripui, tenuique ratem: quæ caute capaci
Pulſa ſedens, Portum in ſcopulis invenit amicis:
Victaque naufragio de tempeſtate triumphat.
Tuta ſalus Superi! Vobis authoribus, auſum
Nil nimis eſt: virtusque fuit, temeraria virtus.
   Hìc nullas hyemes, non ſaxa infida, nec ullas
Horret Nauta vices. Zephyri, trepidantibus alis,
Undarum placidam vix audent lædere pacem.

D. Car. Borromæus maximo iſthìc in cultu habitus.


D. Caroli ope, evitatum naufragium.


Hinc Dominos, Puppem per cærula ferre, ferentem,
Hi mervere Lacus: oblitaque littora Nereum,
Regia deſpecto venerantur Sceptra Tridente.

MILLEFLORUM.

QVÆſitam pretio Floram, præſtantia cultu
Hactenus Arva cano: Se nunc ſpectabilis offert
Sinceri ſimplex, nativaque gloria Ruris.
Terra vocat Nos illa, ſuam quam regia Cloris
Nuncupat: illa ipſo fert nomine millia florum.
Huc ingens ſpatijs, & læta virentibus umbris
Fert Via, digreſſum patrijs rectiſſima Portis:
Perque viam comes eſt oculis quæ Scena beatis!
Damna moræ compenſat iter: nec fœnore parvo
Gaudia differimus. Villarum aſſurgere paſſim
Culmina, nonne vides? greſſum ſuſpende Thalia;
Quod petimus iuſtum eſt. Quæ Colle Palatia longo,
Quæque tot effuſis tollunt capita ardua Campis;
Spectator rapidus, non abnuo, auarus eundo,
Permeet obtutus: plano Rura obvia calle
Villa Millefloro contigua.
Præterijſſe nefas; Truchiæque iniuria Villæ eſt;
Quam prope Regales placuit conſiſtere Sedes:
Excepitque frequens, meruitque à Principe laudes.
Mens Domini nullam, ſemoto Principe, nacta
Lætitiam, hìc totos illum prope fixit amores;
Delicijsque locum poſuit, Portumque quieti.
Non illum curæ, non illum á Rege movebunt
Otia. Sola quies, pro Rege quieſcere nunquam.

Flora





Flora loci cuſtos, opifex, reginaque Ruris,
Dum meditans animo cultum admirabils Agri;
Nititur hortenſis metas attingere laudis,
Concipit ingenium Domini: moresque ſecuta
Virtutesque, ſuam ſe ſe formavit ad artem:
Nilque parat, dotes quod non imitetur heriles.
Scilicet hàc amplum generoſa excurrit in æquor;
Illìc perſpicuis ſincera pateſcit in undis;
Dives ibi ingenium lautis oſtentat in Hortis.
Illa memor quanto mens Præſidis alta gubernet
Ordine tot turbas operum, rerumque tumultus;
Rura hæc in ſeriem ſic digerit undique rectam;
Ut nihil imprudens, inconſultumque vireſcat.

In gerendis negotijs capacitas, ac prudentia.

Vana nec ambitio plantas invaſit inanes
Oſtentatricem foliorum accerſere pompam;
Non captare auram, non quærere ſumptibus umbram;
Eſt decus in fructu. Semper de divite Fundo

Amor ſolidæ laudis.

Largiri quodcunque velis. quot namque tulere
Nobile ab ignoto pretium Pomaria Mundo,
Fundit ager. Quid?in hac,quòd nil tellure malignum eſt;

Regij ærarij felix, adminiſtratio.

Nil hoſtile? bonam Gens quæque experta virentum
Laudat humum:iuncta allobrogi rubet armena Pomus,
Perſide miſſa Pyrus, quondam babylonica Morus,
Obliquè ſtolide Ficus balearica collo:

Ingenium Placidum,& blandi mores.

Nec luſitanam Citrus ligur invida Citrum
Aſpicit; aut coram meliori palluit auro.
Francica cum Sirijs una arbore Pruna, latinisque
Attica cum Malis,felici fœdere regnant.
An popularis amor, facilisque & pronus in omnes

Id docuit? num dexteritas, & ad omnia porrò
Mira ad univerſa dexteritas. Flexilis ingenij ſpectata in Præſide virtus,
Hanc etiam potis eſt arbuſtis indere mentem;
Sedulus ut formas flectat ſe ramus in omnes?
Ordinet arboreas docili ſeu cæſpite ſepes;
Seu viridi murum prætextu veſtiat omnem;
Frondea nunc tendit, diſtentaque bracchia curvat
Centimanus pulcher: medias nunc ire per haſtas;
Nunc docet ipſa leves per vincula currere virgas:
Diſcit quin etiam nodo felicior omni
Exire; anguſtis ordiri grandia rebus;
Maioremque ſua de compede ducere ſylvam.

Præcipuè has artes, hunc dexteritatis honorem
Carpine, ductilium ſequeris virtute comarum.
Labyrinthus ex Carpino. Quæ non per dociles moliris ludicra flexus,
Componens miram ſolis erroribus artem!
Ut labyrinthæi deceptus fraude Vireti,
Inter mille aditus, interque patentia mille
Oſtia, te foribus clauſum miraris apertis!
Per tot ubique fugas, fuga deſperatur: & ante
Innumeras, via nulla vias. Exire videris
Semper; & ingeminas fallacis vincula Septi.
Curſibus ipſe tuis laqueos tibi texis: in omnem
Verteris ambagem; tibi iamque iraſceris uni;
Artificesque dolos, dum vis reprehendere, laudas.
Ergò unum querens inter tot limina limen,
Volveris infelix felici in carcere; donec
Qui te captivum fecit, te ſolverit error:
Id didicit cultæ ſolers imitatio plantæ.

Quid

Quid memorem urbanosq; ſales, moresq; facetos? *Urbanitas feſtiva.*
Quos imitata Thetys, pluvijs certare iocoſis
Marmora viva dedit, clarę ſimulacra figurę,
Alterutra alterutrum ſubitis ferientia lymphis, *Sinceritas expers doli.*
Ludit ùt alternis feſtiva iniuria dictis?
Se tamen illa magis placituram credidit; omnes
Cùm dedocta dolos, cęco non flumine furtim
Ingruit; aut tubulis per vim, per tormina fluctum
Cogit ab invito paulatim aſſurgere fonte.
Uberibus venis, & nunquam paupere fundo
Dives inexhauſtæ theſaurus profluit undæ
Piſcinam in magnam; quam citria Sylva coronat.
Sylva coronat aquas, aqua ſylvas: albaque circum
Saxa, laborato cingunt divortia ſaxo.
Quantus honor fonti! hic magnus Fons, hoc Mare parvũ
Regem habuit nautam. Quoties diſcrimina Regni, *Fons, ac perampla Piſcina*
Fortunamque ſuo decerni littore vidit!
Aut poſito faſtu, quæ rerum tendit habenas,
Obſtupuere manum felici incumbere cymbæ
Naiades, & pulſam reſonare applauſibus undam!
Nunc viduam tanto lugent vectore carinam.
Ille fatigatus venatu, has creber in ædes *Ædium lauta ſupellex.*
Digrediens, lautas & opes, & munera Regum
Admirans, mutare Aulam, non linquere ſenſit.
Tum diverſa, ſuis quæ nec ſperaſſet in Hortis,
Regali legere ipſe manu lectiſſima florum
Germina gaudebat; carpendaque tempore certo
Poma notarat: ager ſperatum expertus honorem,
Regum avidus ditare manus, maiora ferebat;

 Et

Et lætus tanto plùs indulgebat Amanti.
Hic fuit ille (nimis carum & lacrymabile nomen
Mens dictura, timet Domini renovare dolorem)
CAROLUS hic fuit ille. ſinu viridaria pleno
Spargite: purpureis Nymphæ loca ſternite Sertis;
Aut hæc æternis incidite nomina lauris.

Car. Emmanuel II. cuius erat Primarius adminiſter.

Auguſto hæc igitur Ruri contermina fulgent
Rura. Duplex ulmorum acies, atque umbrifer ordo
Magnificum per iter Regem ad ſua Tecta ferebat.
Huc quoque Nos ferimur. Salve optatiſſima Tellus
Jam tandem. Oh miranda loci natura! quid iſthæc
Præcipitantis agri miracula! ſubter abire
Planitiem! longo ſponte arva dehiſcere tractu!
Fallere naturæ faciem! expavere ruinam
Lumina; tam ſubito campi conterrita lapſu;
Ut Collem ſine Colle videns, amiſſa requiras
Æquora. Vel Natura lares venerata receſſit;
Aut ſibi Terra placens, amat inclinata videri;
Pronaque monſtrat opes; humilemque ſuperbia reddit.

Hinc umbrifera ad Milleſlorum ambulatio.

Mira, & repentina Soli declivitas.

Ante mihi laudanda Thetys, quæſivit in agro
Quæ ſibi prima locum: & Floræ ſpatiata per Aulam,
Undarum locuples, iugi fovet amne virentem
Lætitiam. Exiguo felix velut inſula Ponto,
In medijs viret Hortus aquis: ubi cymbula oberrans,
Innumeros florum populos cognoſcit eundo;
Et variam vario natam ſub ſydere gentem.
Indica non hinc Iris abeſt, trans æquora quæri
Digna: nec aſſyrio veniens Naſturtia Cœlo:
Nec qui iaponicis redolens altaribus olim,

Hortus in lacu medius omnium florũ genere clarus.

Sanctior

Sanctior italicas venit Narciſſus ad Aras:
Nec quæ centenum folijs expandit honorem,
Quæque damaſcenos iactat Roſa pulcrior ignes.
Hìc latium braſili certat cum Tubere Tuber;
Lilia Gelſiminis pugnant ibi gallica iberis;
Utra legenda priùs. Sed cedat Flora Dianæ:
Multum illi color, huic plus addidit umbra decoris.
   Hęc Nemora, has umbras, ſi tempora priſca tuliſſent;
Nulla erat Æmoniæ Divûm reverentia Sylvæ,
Nullaque Mænaliæ: non aut Heliconis honores,
Aut Dodonæum meminiſſet fabula nomen. *Sylva volupta ria Perinſignis.*
Quæ non religio, quæ non his Numina ineſſent
Saltibus? Hìc Deus, hìc Aræ, ſacrique pavores.
Sanctum nulla nemus violaſſet dura bipennis;
Quæ violare omni metuiſſet in arbore Numen.
Nec tantùm ſenio claras, & grandibus umbris
Laudarim læta horrentes formidine ſylvas:
Lex datur arboribus, iuſſo diſcedere nuſquam
Limite: ubi annoſas ſervata lege tueris
Innumero innumeras excurrere tramite claſſes,
Partirique vias; ſpatiumque aperire diei;
Et per magnificos Solem deducere calles.
   Syderis exemplo radios iacientis in orbem,
Finge locum. Medium Hortus habet: circum undiq; ſylvæ *Rus univerſum in formam Syderis.*
Multifidâ radiare viâ; totoque virere
Circuitu. Hinc quamcunq; oculos iaculeris in oram;
Diffugit obtutus; quantum valet ire tuendo;
Pervolitatque uno nemoroſa tot oſtia viſu.
Sique inferre pedem Nemori libet; ipſa vireſcens

 Pompa

Pompa vocat, vocat umbra loci,vocat ordo viarum;
Quique procul clarâ prçlabi cernitur undâ
Torrens, umbrarum rumpit qui murmure ſomnos.
Huic adeò primos nemo contendat honores,
Aut ſenibus plantis, ſemperve recentibus undis;
Aut nemorum ordinibus variorum;& tramite crebro,
Qui Mundum arboreum diverſa in Regna diremit.
Fortunata parum! meliori Terra mereris
Sorte frui. Non ullus ager tam dignus amari;
Negligitur nullus tam indignè. Aſt optima tellus
Villa haud Vel neglecta placet: contemptaque ſervat honorem,
ſatis pro me- Largaq; ſegnem operam, & cultus compenſat avaros
rito exculta. Ingenita virtute ſoli: modicoque labore
Vendit opes, ditatque pigrum non pigra colonum.
O nemora, ò fontes, ò gloria nobilis Horti,
Nata beare oculos Regum, accubitusque ſuperbos;
Verſicolore Ducum cœnas ornare paratu!
Eſt modò cum rudibus tua gloria tota bubulcis;
Regiaque agreſtes paſcunt ſpectacula viſus.
Hos Dryadum fletus, annis meliora daturis,
Tandem arcere,tuum eſt AMEDEE.En marmora, & aurũ
Tempus edax rapit! & nullo miſerante, minaces
Circumquaq; patent, ignoranturque ruinæ!
Dicam equidem,ùt tantæ Cœpta inter grandia Molis,
Ædium in- Caſibus infauſtis, ultroque monentibus Aſtris,
termiſſarum Jampridem abruptus ceſſit labor. Ardua celſum
allata ratio. Creverat in culmen properato Machina ſumptu;
Carolus Inſtabantque Duces operi, cum Coniuge ibera
Emm. I. CAROLUS.En ſubiti vis ingruit horrida nimbi;
Involvitq:

Involvitque diem tenebris: micat ignibus æther;
Præcipitant imbres; coniuratoque furore,
Hinc notus, hinc boreas, tota regione potiti
Bacchantur; ſternuntur agri, ſylvæque gemiſcunt.
Quod magis horrendum eſt, exundant margine foſſę;
In mare iam fluvij creſcunt, in flumina rivi;
Tot ſimul ingeminant tremefactis nubibus ignes;
Arſurum ut timeas medijs in fluctibus Orbem.
Dumq; tonat Cœlum flammis; metuisq; ſupremum
His Populis inſtare diem; mirabile viſu,
Illico vaneſcunt, notus, imber; fulgura ceſſant;
Reddita lux; oritur reſolutis nubibus Iris:
Iris, qua memori non riſit pulchrior ævo:
Verſaque in Italiam, quæ ſpectat Regna, ſerenat.
Tum ſuus agricolis redijt labor, & ſuus ardor
Artifici larium Populo: Rex primus inertes
Sollicitare moras adigit, damnisque mederi.
Aſt Cęli attonitam monſtris, & lumine tactam
Fatidico Auſtriacam Matrem, nondum atra reliquit
Tempeſtas, ſanctusque tremor præcordia fugit.
Neſcio quid, præter naturæ præſcia morem,
Mente legens, & operta ſiniſtri ænigmata fati;
Conſultura Deum, Cœlo impellente recedit.
Illa, ùt erat ſuperis animo addictiſſima rebus,
Fletibus irrorata pijs, perfuſaque mentem
Luce nova, neque ſat ſibi conſcia, an hoſpita Cęlo
Illa ſit, an Terris; illapſum in pectora Numen,
Hæc ſecum tacitis affari vocibus audit.
Heu, Catharina, manent quales tua Regna procellę!

Catharina Phil. II. Reg. Hiſp. Filia, notiſſimæ pietatis.

Quæ

Quæ mala, quas clades belli civilis Enyo
Cumprimis feret! heu gladios removete cruentos
Civile ſecutū bellum. Naturam oblitæ, fraternaque viſcera dextræ!
Nec ſatis hæc. Tempus veniet, quo deinde ſolutis
Totus in hanc ſedem belli ruet Orbis habenis.
Pedemontiū futurum communis belli theatrum. Hæc cum, trans Rhodanum, primoq; Boryſthene cretis
Arva prementur equis: cum Sequana, Rhenus, & Iſter,
Atque Albis, Thameſisque, & baltica littora, gentem
Auſonijs avidam immittent diteſcere prædis.
Quæ gens innocuo tunc impolluta cruore?
Quę rea non tellus? illic verſa Oppida flammis,
Illic contectos iteratis cladibus Agros
Nonne vides? ſquallere fugatis arva Colonis?
Scilicet effoſſis hinc olim erumpere ſulcis
Vandalicas paſſim galeas, & Norica pila,
Vomeribus fruſtra inſultans ſpectabit arator;
Et male quæſitis latè eruet oſſa ſepulcris.
Quis modus irarum belli, Romæque timorum?
Aut quem Fata Virum, Terras miſerata, reſervant?
Sanguine nata tuo Soboles, quo ſera fruentur
Tempora, ſepteni primævo à Saxone Secli,
Septimum à Beroldo ſeculum. Hic erit ille, ingens animis, acerrimus armis,
Cunctis par bellis VICTOR; qui vincula ſolvet
Italidum: procul illo; & ferro evertat, & igni
Heſperiam; & ſervum miles premat advena Tybrim.
Ut modò diſiectis clareſcere nubibus Iris,
Turbineque in medio non expectata Serena
Viſa Polo; ingentes ſic ille interritus hoſtes
Marte ubi ſuſtinuit longo, indomitosque laceſſit;

In peius dum cunčta ruunt; Regnique libido,
Vis, ratio, rabies, ſæva in certamina gentes
Aſperat; Italiamque ardens, furialiter odit;
Nullaque iam pacis, libertatisque latinæ
Spes micat; una viam tundendis invenit armis
Mens, manus: Auſonijs ut abacto finibus hoſte,
Spem præter, modò non patrijs ſit reddita Terris,
Quin & compoſito redeat Pax aurea Mundo. *Italicæ Pacis Arbiter*
Hos adeò ante dies, nemo hæc tibi ſuaſerit Hortis
Delegiſſe loca; & ſedem præferre quieti.
Hìc erit, hìc centrum bellis: melioribus annis
Venturos maneat condendi cura Nepotes.
Plena Deo hæc inter, ſibi reddita Regia Coniux;
Haud mentituram viſa, atque audita per umbram
Secum animo referens, altè ſecreta recondit.
Continuò urgendorum operum tamen excidit omnis
Ardor; & inde Viro mutata pateſcere vota
Haud metuens, Ruris paulatim avertit amorem:
Amovitque manum; & Moles æterna pependit.
O Patrij Indigetes, Regni tutela Sabaudi,
Tergemini Nili Heroes, ſanctęque phalanges
Thebaidum, quorum tot fortia pectora Signo *SS. Solutori, Adventori, Octavio Patronis, pacta, & ſoluta pro pace vota.*
Inde trahunt haud degeneres ad fortia niſus;
Tot ſupereſſe malis; quid vincere? Vivere Regna
Si potuere; (fides ſolvenda fidelibus Aris)
Hoc opis eſt veſtræ: vobisque autoribus, illud
Illud adeſt, quondam promiſſum à Numine Tempus. *Equeſtris Ordo S. Mauritij.*
Vix etenim patrijs ſupremum incumbere Portis
Senſimus exitium; nulla non nocte, futuram

In

In cinere, in flammis Urbem lugere parati;
En dare ſe victum, inſontemque abſcedere Martem!
Dumque ruens aliò, belli graviore procella,
Per mediam tonat Italiam; Martemque volentes
In Populos inſtat VICTOR felicibus armis;
Dum nutat quaſſis lapſura Valentia Muris;
Et latos aperit curſus Fortuna triumphis;
Oh decus! oh cunctis palma anteferenda Coronis!
Rumpit iter palmis: ſpem devovet, armaque Paci:
Seque Sibi ſubigit. Dux, arbiter unus in armis,
Per geminas acies, in mutua damna ruentes,
Sic animos linguâ exarmat; ſic edomat iras
Conſilijs; ut ſe dextras damnaſſe feroces
Obſtupeas. Pacem Germania, Gallia pacem
Omnibus inclamant Caſtris: ſocialia in unum
Agmina iunguntur: fremitu Æra tonantia læto,
Tympana, plaudentesque tubæ teſtantur ovantem
Lætitiam: totis Ticinus, & Abdua geſtit
Littoribus: ſe ſe Padus exultantior urget,
Ut ferat Adriaco fauſtiſſima nuncia Ponto.

Hoc anno 1696. pręter opinionem, media inter arma, ſancita pax.

Oh Mars, & Sol Italidum, qui diſſita longè
Regna beas; reditu quìd tantùm gaudia ſero
Noſtra trahis? dominos nondumne reviſere vultus,
Quæque latina, manus ſolverunt vincla, licebit?
Magne redi: impletur Fatum: promiſſa refulſit
Iris: ſperatum Regno decus, & ſuus Arvis
Reſtituendus honor. Magnos etiam iſta momordit
Cura Duces: partis Ruri indulgere trophæis.
An fruſtra in patrijs opera ad Romana fodinis
Materies

Materies venit? Numidum non æquor arandum:
Nec vehet ionias huc graius Nauta columnas:
Nec quęrenda Paros. Eſt hìc nativa Corynthus:
Sunt vel Niliacis non invida marmora cruſtis.
Hæc rape viſceribus tenebrarum: atque abdita Seclis,
Conſurgant ævo decus immortale futuro.
Galbę delicias, & Pompeiana Theatra
Concipere his licet;haud modico argumenta labori,
Sola hęc Rura dabunt: ſtat adhuc circum ordine celſo
Porticuum, & lato ſpectabilis Area Circo;
Limina, Pyramidesque; huc congere marmoris Alpes:
Hoc, Te Rege petunt. Venient in ſcalpra volentes;
Magnanima Heroum referentibus ora Coloſſis,
Quos numerat plenis generoſa Sabaudia Faſtis.

Fodinæ marmorum propinquis in montibus nuper detectæ.

Sin Arces priùs, atque Urbes, imitata Parentem
Mens agitat; votis obſtare ingentibus abſit.
Dicam immo, quam laudem operũ Tibi fata reſervent
Intactam: hanc unam Genitoris vota petebant
Ultima: nempe novos Portus, nova Mœnia, & alto
Clauſtra locanda Mari, & Populis nova Tecta vocandis.
Ergò quod invidit Magno immortale Parenti
Mors opus; implendum Tibi Cœlum deſtinat Uni:
Nicia, tota tua eſt: Urbis molimina magnæ
Sunt tua. Quamquam illi ſpecioſi ſit nitor Agri;
Sit Mare piſcoſum; non vi ſuperabile Caſtrum;
Nondum digna Tui eſt: nec tanti luce Senatus:
Et Populi, & Procerum ſtipatis Sedibus impar.
Deficit Urbs Urbi: Decuit capere æthera Tectis;
Ut quod Terra negat, ſpatium daret altus Olympus:

Carolus Em. II. Nicæam ampliare, Portumque ædificare meditabatur.

Nec

Nec Cœlum ſpatijs ſuffecit. Vulgus abundans
Exulat in Patria: intrà ipſas caret ædibus ædes:
Inque diem fervet nautis Mare; littore pulcro
Promiſſam expectans Urbem, Portusque fideles.
Annue Supplicibus votis: ſi dicere fas eſt,
Magna fides, ſtudium parendi, atque inſitus ardor,
Veracesque petunt lacrymæ: dà commoda Portu
Littora: Neptunum vinclis & carcere frænâ:
Et Pelagi Rex eſto tui. Nova Nicia Ponto
Regnabit; longè vaneſcet Ripa; ſuperbas
In Moles latè exurget; ſic auguror: olim
Sic erit: Urbs Patrem Te, nondum nata, ſalutat.

VENATICÆ ÆDES


QUęrere per Saltus, & opaca per antra Dianam
Parcite Pierides. Nemorum faſtidijt umbras;
Et Dea Sylvarum fulgentibus imperat Hortis.
Pareo Muſarum ſtimulis: novus incitat œſtri
Ardor, & inſuetæ virtus illapſa Camœnæ.

Miranda virtus ingeni! Artificum manus
Proſperiùs audax antea nuſquam fuit:
Nec qui ſuperba Mole manſurum deçus
Magnificus emit; opere tam claro ſuper
Æternitatem Nominis ſcripſit ſui.
Haud deſtinatam ruſtico hoſpitio Domum,
Urbem videbis. Conſilia vicit labor:
Laborque tantus, otium Domini fuit.

Perpende longos Ædium per ordines,

Quid


G. Tasniere fec.


Regie Venatice Edes

Quid deſit Urbis. Cerne non ſimplex Forum, *Species novæ Urbis.*
Et Porticus, & termini immemores vias,
Compita, Theatra, Templa, perpetuum Larem;
Urbis relictum quæris in Villa nihil.
Quis deinde Tecti Regij excelſum decus
Æquare verſu poſſit? Immenſa Areis
Tributa Spatia, paupere ad pompam Solo?
Cœloque ductas Ædium teſtudines?
Sylvam columnarum, ambientem Porticus?
Speculasque ſaxo fulgurantes candido?
Simulacra mille, multiplex Fontis decus?
Fanumque Venatricis eximium Deæ?
Primo Diana prominens in limine
Armat trophæis Porticum ſylveſtribus.
Horrore amœno, triſte Cervorum decus, *Prioris Atrij Venaticus apparatus.*
Ramoſa capitum pompa, reliquiæ necis,
Pendent columnis, præda Sylvarum vetus.
Cæſas ſuperba morte, Regali manu *Tabellæ diſpoſitæ in quibus cæſorum á Principe Cervorum varij deſcripti caſus.*
Suaque clade nobiles olim Feras
Tabella teſtis indicat. Princeps ſua
Legit pericla: ridet antiquos metus.
Quis inde Fontis Area in vaſta nitor!
Et hìc Diana ludit. In medio lacu
Sat clarus ære Cervus, & timidus mori: *Succedit Area perampla, Fonte ſpectabili.*
Latrantque circum marmora implacido cane.
Rabiem Faber, metumque ſimulacris dedit.
Cervus periclo pallet, & meditans fugam,
Inire neſcit: Turba latrantum, ſequi
Operoſa, morſus aſperat: Ediſcit lapis

Simulare

Simulare curſus: ardet in gelido furor:
Trepidum volutat Cervus imbellis vitrum:
Inimicus Umber frigidas iras vomit:
Unda ferit undam; plaudit afflictus latex;
Servit Dianæ luſibus Dryadum labor.

A dextro latere Alij Fontes.

Dum blanda rides bella, & alterno æſtuat
Latrator imber murmure; à dextra vocans
Bellè cadentum vena lympharum ſalit.
Obſtat catena marmorum? Hinc Septum patens
Illuſtre clathris, Fontium oſtendit decus.
Canora Nautis Damna, Sirenum chori,

Sirenes in Fontibus.

Formam quibus dat marmor, & vocem latex,
Petunt videri. Quinque, diſtincto micant
Cratere, blandiendo crudeles Deæ,
Fœminea monſtra. Stridulo argentum tubo,
Vocale flumen, æthere aſperſo rotant:
Saliunt, ruuntque: hoc tormine exultant aquæ.
Mox liberali providus abundans vado
Nutritor imber, floribus vitam ferens,
Se dat bibendum: Lacte quo flammam Roſæ,

Floriferum Viridarium.

Nives alunt Liguſtra: quo ſemper recens
Floret iuventus. Junior functo Patre
Succreſcit hæres; gratiæ, formæ, omnium
Hæres odorum. Nulla nobilitas perit;
Familia ſemper altera, ac generis ſui
Lumen propagans, pulcra poſteritas venit.
At, at! Siniſtrumne auribus adhinnit latus?
Et Stabula honores negligi nolunt ſuos.
Equeſtria hinc Armenta, prælongum capit

Gemino

Gemino Lacunar ordine immenſi gregis; *Canum, equorumq; à ſiniſtro latere ſtabula.*
Illinc Canum cubilia; ingens utraque
Honor Dianæ. Nemo ſolerti nimis
Formoſa Colla pectine, & mollem comæ
Nutrire luxum ſtudeat: imbelles Equi
His obſequantur artibus. Fortes pudet
Servire formæ. Murice inſtrato nitens, *Equi generoſi ad curſum perquiſiti.*
Superbiore nullus incedit gradu:
Nullusque ab auro ſpiritus grandes capit.
Pictis tapetis exue; his phaleris licet
Nudi, decora gaudia, atque animos adhuc
Retinent priores. Sique magnanimum pecus
Aptare bigis, pondus ignavum pati
Velit Magiſter; aureas quamquam rotas,
Regumque Currus, nobilis ſpernit furor. *Unicè ad venatum exerciti.*
Domino rebelles, colla ſervitio negant:
Qui pulverem, qui bella, qui ſolos amant
Pro laude curſus. Arma venantum exhibe;
Promitte ſylvas; cornua hinnitu vocant: *Eorũ indoles.*
Spe geſtiunt; crurumque generoſus tremor,
Animis, fatetur, quantus igneſcat calor.
Ad monita pendent. Seſſili tergo impera;
Quemcunque tanto deligat caſus grege,
Metuis volantem: Seque cum præda offeret,
Minorem in illo ſæpe virtutem velis.
Adeò rapit ſe penniger, fræni impotens,
Ut præda mortis, antequam prædę potens,
Animam volucrem percita exhauſtus fuga,
Perſæpe in ipſa deſerat vitam via.

Venatici Canes ex Britannia oriundi

Canum medullas acrior adurit focus,
Amore prædę. Non adulantes ioci,
Non indoles feſtiva, mores lubrici,
Qui blandiuntur dente,qui morſu place nt
Dominique amorem dulcibus captant minis,
Non iſta dignum vitia Latrantum genus
Fecere: quos ultrà Anglicum natos Mare
Pretio vocarint liberali Principes.

Eorum indoles & forma.

Feritas, cruentâ luminum ſplendens face,
Frons triſtis, iras viſa meditari truces,
Crura alta, lata planta, prolixum latus,
Pectus thoroſum, prodigum robur ſui,
Perampla cervix, concavo roſtri ſinu
Creſcens ſupernè, ac turgidè obtuſum labrum,
Aures fluentes, naribus reflans odor,
Ingens hiatus oris, & magnæ famis
Malæ capaces, quique ſpirituum ferax
Longis ſuperſit curſibus anhelus vigor,
Hos Principi commendat. Ad Sylvas vocat?
Nutu loquaci gratulantes invicem,

Amor venandi.

Inſaniunt amore: latratu increpant
Dominum morantem: plauſaque flagello aurium
Diverberantes tempora, ùt cauda leo,
Se mutuò exhortantur. Hinc ſe narium
Sopita virtus excitat; odoros procul
Hauritque ventos. Hoſte non viſo furor
Opinione ſævit: ac iamiam tenet,
Preſſoque dente mordet abſentes Feras.
Mox niſi ſoluti liberam ſeruent fidem;

Poſt

Poſt vincla, quæ vox frangere imperio impetum;
Aut regere nutu poſſit? id poterit volens
Parere doctus curſor: inſtantem Feræ,
Quem ſi Magiſter revocet; à morſu abſtinet,
Parcitque prædæ victor, ac vincit famem.
At gemina longum Stabula diſtinguens Forum,
Solemniorem prælijs metam ſcias;
Ac diſtributis nobilem palmis locum.
Juvat referre ſtrenui ſcenam ioci?
En, en! citatis curſibus trepidum procul
Solum! nigrantem pulveris nimbo diem!
Equos frementes, nobilem prædâ Ducem!
Volans quadriga, ovantium clamor canum,
Throphæa belli, Spolia mactatæ Feræ,
Monent adeſſe. Præpetes ſiſtunt rotæ:
Splendet cadauer arduum: inſtratum iacens,
Arborea tollens cornuum faſtigia,
Spectacula ad ſuprema Venantes vocat.
Quiſquamne credet? Glorię ſenſu putes
Et bruta tangi. Conſcius victoriæ
Equis renidet ardor. Exhauſti ilia,
Labore anheli, damna, ſudorem, ſitim,
Mulcent triumpho. Ut belluæ captę fidem
Fecere, buſtum, ſanguis, exuviæ necis;
Satis eſt honorum. Ceſſat Alipedum furor;
Abeunt ſuperbi; & Clauſtra felices petunt.
Non hic Britannis canibus irarum modus.
Rabiem fames accendit, & rabies famem.
Ut pelle iamiam pendula, inviſum vident

Prægrandis Platea, edictus Venatoribus ad conveniendum locus.

Equi generoſi, ac placabiles.

Mactati Cervi [illegible] Canibus viſceratio.

 Splendere

Splendere roſtrum ; iamque ſanguineas dapes
Sector ſpopondit culter ; intenti ebrio
Hærent voraces lumine . In vultu fames
Ridet , tremitque gaudio , atque oculis vocat ,
Stimulatque nutu pabuli ingratam moram .
Nec ſolida diro victima arbitrio datur :
Stat diſtributor enſis : hinc primas cruor ;
Eviſceratum pectus , avulſum iecur
Diſpenſat eſcas . Longus hac tandem placet
Mercede curſus . Venditum credunt bene
Sudore tanto ſanguinem . Huic toti incubant ;
Neſcisque , anhelus ardor , an ipſa ſiti ,
Plus ſitiat ira : guſtus , an odium bibat .
Tum ſecta Colla , cornibus fruſtra ſuis
Armata cervix , crura , maxillæ , ungulę ,
Lucta potius , quam menſa , vindictę, fami .
Rapiunt , vorant , lacerantque : miteſcit fames ,
Vindicta nondum : nunc inexpleto pedes
Plectunt fugaces dente , tantarum diu
Reos viarum : verticis iam nunc minas
Plagis laceſſunt . Ungue , morſu lancinant
Hoſtem figuram ; Belluę veſtigia ,
Umbramque Cervi perſequentes ultimam .
Sic ira ceſſat . Advena in vacuo Foro
Teſtem triumphi, verticis pompam videt.

Ad Ædium fores quatuor Coloſſi .

Succedit ingens culmen æthereæ Domus ,
Caputque Molis : Latera Veſtibuli tegunt
Bis duo Gigantes . Tergori incumbunt , citris
Urnę virentes . Robora Atlantum putes

Mutaſſe pondus. Aureum raptum Nemus
Sive huc tuliſſe portitores Hercules.
Taceam fluentes intimo luxu Lares:
Illuminatas Gange profuſo trabes:
Veſtita taceam Belgio Conclavia:
Tabulisque Apelli ſpiritum debentibus.

Interior Luxus præter modum lautus.

Florens Theatrum terga Tectorum excipit.
O pulcra Veris pompa! Quàm varius decor
Superbientis, artis obſequio ſoli!
Viden ùt in Urnis floridæ imperium Deæ
Fucata tellus explicat! Ut intervirent
Sylvę citrorum penſiles! Fragrantibus
Spirant ùt animis omnia! Ut tereti ſolo
Tenella myrtus, myrtus haud unquam die
Mortalis ullo repit; & longam ſciens
Obſervat artem; Forcipis mentem ſequi
Oblita nunquam! Ut Sylva laſcivit brevis!
Ut ſe fugit, ſequiturque! Multiplici dolo
Confundit oculos, & iter operoſum legens,
Nodoſa ſe nunc impedit; ſe liberam
Jam iam remittit! Perdidit ſe, ſe invenit,
Seque ipſa claudit! Potuit id ferri labor
Prudens magiſtri. Corrigens luxum comæ,
Dat gratiam; docilemque, quò lubeat, vocat.

Poſt ipſas Ædes, Horti in Theatri ſpeciem.

Hortenſes ex myrto Areolæ. Parterre.

Redimit Theatrum marmore eximius labor.
Honore nuſquam ſcalpra certarunt pari.
Spirare iurem Saxa. Se populus Ducum
Inſculptus offert. Vivit hìc nullus Nero,
Cœſarque nullus, Nomen inviſum ferens:

Theatrum Opere marmoreo.

Notanda ſaxo pectora, & dignus rigor
Veſtire rupem. Dedalæ gaudent manus,
Sabaudiæ Ducum Buſta circum diſtributa. Decusque credunt artis, Heroum genus
Creaſſe tantùm. Prodit ingenuus Duces
Decor Sabaudos. Ora diſtinguis Virûm,
Animos eoſdem cernis: & ſimiles Avis
Semper Nepotes. Sculpe de tota Faber
Quem Gente mavis: laude qui vivunt tua,
Suâ perennant. Tempore effigies cadet;
Nomina vigebunt. Cuncta ſi fando ſequar;
Scalpri per omnes ire ſi laudes velim,
Quadrupedũ Vivarium Venaticum. Lux me relinquet. Progredi in Sylvam iuvat?
Vaſto Dianæ armenta, quem Murus capit,
Clauduntur agro. Carcerem ignorans Fera,
Beata vivit: capta non credit capi.
Hinc quà decoram floribus lectis humum,
Quà Nemoris arduum; aut humile prati decus,
Quà frutice denſa ſpatia, quâ clarum vado
Amnem citato, cupidus oculo permeas.
Sed gemma Ruris, Ruris egregium decus,
Fons Herculis, laus prima Phidiacæ manus:
Et Crypta Nymphis garrula, & Tritonibus,
Circumque ductum marmore excellens opus.
Binæ Speculæ in Templi ſimilitudinem faſtigiatæ. Lunatur Agger arduus: Stant æmulæ
Pro fronte Turres: Similis it Templis apex;
Cœloque aperto frigus ęſtivum bibunt.
Grande Ambulacrum fert in utramque: ambiunt
Marmorea Septa marginem: claro ordine
Simulacra, ſpectant Herculem extantem lacu.

Quò fulgurantes marmore hinc atque hinc gradus,
Serum per ampla Spatia deſcenſum ferunt.
Surgit minaci mole metuendi labor
Ingens Coloſſi. Spirat in membris vigor,
Niſus lacertorum. Herculea ſaxo Faber
Imprimere potuit odia. Conſilium ferox
Alcidis, improbaque ira, quid volvant, vides.
Tuens tuentem terret. Haud anima Hercules,
Sic quoque timendus indiget: ahenam manu
Librante clavam, pendet intentus neci:
Lernæ paludis Hydra, ſeptemplex malum
Metallo eodem pullulans, fato tremit
Pendente ſemper. Illa domitoris ſui
Implexa pedibus volvitur. Veros gerunt
Metalla flexus: ſibilat ſpumans Fera;
Parvumque Nilum fauce ſeptena vomit:
Ac pro veneno limpidum Fontem bibis.
Succede Cryptæ; Scena ſuccedet recens.
Simulacra ſcrupis aſpera, & conchylijs,
Vibrant nitorem. Multiplex Pelagi Fera,
Tritonque, Nereisque contendunt aquis.
Æſtuat in unda prælium; ſed gratia
Eſt in furore: tortuoſa cornua,
Pugnæ iocoſę claſſicum, intorto vitro
Inflat canorus imber. Aſperſo æthere,
Se mutuò laceſſit unda miſſilis;
Atque imber imbrem percutit: geſtit ſuo
Afflicta lympha verbere, & plaudens gemit.
Candet Dianæ grandæ Delubrum procul,

Herculis in Fonte Simulacrum.

Cryptæ, & aquarum luſus.

 Ruriſq;

Dianæ Monumentum.

Rurisque, & oculi meta. Virgineæ Deæ
Vaſtator olim Templa conſumpſit rogus;

Fons circumductus Inſulam efformat.

Nunc unda reddit. Prodit artifici lacu
Miranda Moles Inſulæ; & latis apex
Spectandus arvis. Nubila, & Cœlum prope
Eunt columnæ: numerus excedit fidem:
Tam denſa earum Sylva, quam totis emat
Diana Sylvis. Fontium mirus decor
Sudatus arti ludit; & lætum ſuæ
Faciunt ruinæ. Carcere hic rupto fugit;
Antrumque Cœlo mutat, & noctem die.
Diducit orbem crater; & parvum Mare
Non nauta parvus ſulcat. Oh dignæ rates
Vectore Rege! Cymbulæ argentum ſecant,
Auro fluentes: purpuræ in velo volant;
Proramque, puppimque, & latera, fulvum iubar
Cælata veſtit fabula, ex auro labor.

Piſcina, cancellis Scaliſq; marmoreis, exinde arboribus, circum coronata.

Quid clara Septa marmore, & Scalis loquar
Littus ſuperbum? Quid theatralem ambitum?
Scenam virentem, ductile in gyrum nemus?
Mirer ſuperbum culmen? ingeſtas opes?
Arcus, Columnas, Podia, Cryptas, Atria?
Ubique marmor: marmor in quanta undique
Venire iuſſum corpora! innumeros capit
Pulſata vultus, artis imperio ſilex.
Sequax Dianæ turba, Venantum chori,
Virûmque, Divorumque, queis pulcrum decus
Quæſita Sylvis fama contemptæ necis,
Inter pericla, clade monſtrorum tulit;

Molem

Molem coronant. Totus in Statuas Apex
Ubique creſcit. Perge, Prodigium vetus
Quin reddis Orbi? quodque præventus Parens
Fato reliquit; maius attollis, manu
Maiore VICTOR? Audior: plectrum tubâ
Mutare Clio, Martis in laudes decet:
Heros canendus, Carmen heroum petit.

Noſter hic Allobrogum Cæſar, Mars creditus Orbis,
Anglicus, Italicus, Germanus, Gallus, Iberus,
Gentibus his bello Ductor, virtute ſubegit
Omnia: conſilio firmans, quę robore vicit.
Pacis amore ferox: nec enim niſi bella volenti,
Aſpera bella tulit; pacisque inimicus in hoſtes;
Æmula victrici libravit fœdera dextra.

Nunc illum(auſonijs ubi Martem depulit Oris,
Et turbatrices optati fœderis Arces
Stravit humi, Syrtes bellorum; Alpinaque Clauſtra,
Italiæque Fores iterum in ſua iura redegit)
Tot celebrem geſtis, invito Marte, Dianæ
Non pudet arma ſequi: quin & latiſſima mandat
Regna pharetratæ Nemorum procumbere Divæ;
Æternorum Operum ſubitas ad Sydera Moles
Attolli; ſperni immodicos ad grandia ſumptus.
Paruit omne Solum: Colles abſcedere iuſſi;
Atque aliò fluitare Amnes: nova Flumina fecit
Quin etiam, Collesque novos: Naturaque verſa
Regis ad arbitrium, imperio nil denegat Artis.

Victor Amed. II. Italicę pacis auctor, Caſalio diruto, Pinerolio recepto.

Venaticum hoc Delicium, multiplici opere, ornatuq; in dies adauctum.

Nec ſatis, immenſum domuiſſe ligonibus Arvum;
Tum Nemora, atq; Hortos, & amantes flumina Nymphas
Diviſiſſe

Diviſiſſe locis; variarum regna Dearum;
Florea Rura, Lacus, Saltus, Pomaria, Fontes;
Vivaque de pario Statuarum millia ſaxo;
Nil ſatis: auguſtam ſociari Ruribus Urbem
Conſilium eſt; labor urgetur. Quis prædicet altam
Perſepolim, aſſiduæ per longa umbracula Sylvæ,
Perque Viæ comites, alternis Ædibus, Hortos,
Mollia barbarico procul ad Viridaria luxu,
Ignarum patrijs Regem dimittere Portis?
Ruris in hanc ſpeciem, quamprimùm Auguſta videbis
Arboreas inter parili diſcrimine Scenas,
Ire viam. Feret ille virens, atque umbrifer ordo,
Tum Latera ornantum Facies alterna Domorum,
Ad ſua Rura Ducem: atq; eadem Te Maxime VICTOR
Reſtituet Sylvis, Urbique Aulæque, relictis.
Quæ loquor? An mediâ non & naſcuntur in Urbe
Delicię? Media non & regnatis in Aula?
Qui ſtupor! Oh ſubiti labor admirabilis Horti!
Quod priùs obſtupeas; toto Orbe furentibus armis,
Flagrante Italia, & patrio ſpumante cruorem
Eridano, in tantis naſci, ridere procellis
Ut potuit Regalis Ager! Quæ præſcia Fati
Mens tibi? Quæ miranda manus per funera vitam
Attulit? Auxilia huc Populis deflenda latinis,
Tempore quo, procul Urſa rigens, & torridus Axis,
Et Notus, atque Oriens, horrentes ære catervas
Miſerat; unà etiam properavit ab Orbe remoto
Omne genus Florum: peregrinaque germina mille,
Heſperio

Via amœna, & percelebris apud Regiam Perſarum Hiſpahan olim Perſepolim, ad 40 milliaria.

Via arborum ordinibus conſita, ad Ædes venaticas ab Urbe perducens.

Alterum, Regiæ Aulæ adiacens Viridarium.

Penultimo æſtuante bello, repente conſitum.


Heſperio, Arctoo, & Cœlo ſolvere Britanno.
Sic dolor, & riſus, ſic cum formidine rerum
Gaudia venerunt; cumque ipſa morte voluptas.
Tum ſua diverſis partitus ùt agmina Caſtris
Mars fuerat; variam in varia ſic claſſe locarunt
Hinc Florum, hinc fruticum, Flora & Pomona iuventã.
Nec modò florentis facta eſt concordia Vulgi,
Et Populo è vario, gentem hìc coaleſcit in unam;
Maius id eſt: repetunt patrias mavortia terras
Agmina; manſiſtis flores: genus eſſè Sabaudum
Vos iuvat: hinc Sobole illuſtri tranſibit in ævum
Florens poſteritas, & pulcrę gentis origo.
Vive genus lectum, exilio felicia veſtro
Germina; quæ tanti dignatur honoribus Horti,
Quæque alit ipſe ſua refluens potabilis undâ
Marmoreos inter crateres, Monſtraque paſſim,
Aereos amnes, pluvias iaculata ſonoras,
Rex pater Eridanus. Roſeis intexite ſertis
Auguſto Infanti, & nato Cunabula Regi
Dum licet; & Regum lites, iræque quieſcunt.
Rumpe miſer cantus, inopino gaudia luctu
Comprime: caſtalijque redundent ſanguine fontes.
Nonne vides? iterum effractis bella undique Portis
Detonuere: Erebo redijt fatalis Enyo;
Fœdera, quæ Regum turbat furialibus iris,
Et Populos agit in Populos. En Mundus uterque
Concutitur: nutant trepidis Diademata Regnis:
Primaque meta malis, mercesque & origo furorum
Italia. Heu miſerè felix! ſemperne nocebit

Anno 1699. *natus Princeps Pedemontij, tota Italia gratulante.*

Eodem anno turbata Italiæ Pax.

Imperio

Imperio florens, & fortunata videri?
    Cauta peregrino Vallum Natura Gradivo
Oppoſuit? fruſtra ſunt Alpes; ferrea inundat
Illuvies: hinc Magnum Atheſis miratur, & horret
EVGENIUM; inde Padum Galli tranaſtis Achilles;
Tu pretium bellis Inſubria: ſpesque ſalutis
Nulla; tot in Martes, uno ſi Marte caretis.
    Vindice,rumpe moras, & Defenſore Sabaudo
Tempora VICTOR egent: ſi in tantis fluctibus Orbis,
Pax iterum ſperanda; tuis hanc ſperat ab armis.
Rumpe moras AMEDEE. At non procul igneus ardor
Jamdudum abripuit? non iam videre volantem
Agmina; fulmineosque oculos, & bracchia norunt
Arbitra bellorum? ſi Dux quærendus in armis;
Quærite, ubi denſus per tempora ferreus imber
Ingruit; atque ubi laus emitur maiore periclo.
Siſte, Tui largus nimiùm; non vincere tanti eſt:
Nec Tibi; ſed Latio, ſed toti conſulis Orbi.


REG
SABAVD COLLEG


G. Tasniere sculps: Taur:

OTIA FERIALIA.

Ad Nobiles Sabaudi Collegij Convictores, occaſione Suburbanæ Villæ Tranſigendis Ferijs comparatæ.

C A R M E N.

VEnit, io, felix tempeſtas; ianua Veris,
Aprilis: melior nobis iam naſcitur annus:
Plaudite. Quin etiam Pindo meliore Sodales
Nos bonus excepit, nec, ùt olim, triſtis Apollo.
Juncta Urbi, iuncta Eridano, Auguſtæque Sororis
Delicijs, pendent ubi prono Umbracula Clivo;
Hìc Nemora, hìc Ædes, hìc Culta virentia Pindum
Fecimus. Oh lecti Iuvenes, quos ſemper acerbæ
Triſtior ætati virtus, Nutricis ab ulna
Eripuit, rigidamque dedit pro matre Minervam;
Queis doctum exilium, & Laribus prȩlata Parentum
Dura domus placuit; pœnas optate ſalubres:
Segnities deforme bonum. Sunt & ſua Muſis
Commoda: palladias ſunt plura medentia curas,
Triſtitiam factura brevem. Sociavimus Urbem
Ruribus. Æſtiferum ne formidate leonem:
Non habitura parem, nec honore, nec ordine Sylvam;
Sylva domus Zephyris, & cuſtos frigoris umbra
Neſciet æſtatem. Si buxea ludere bella,
Et ſapit æratæ plagoſa ſcientia clavæ;
Longior æquato decurrens Area ductu,

Villa trans Padum, Regiȩ Villæ Tranſpadanæ attigua.

Voluptarium conſitum Nemus.

Miſſilium pilarum.

Multifidam

Multifidam reſerans hæc ſternit ad arma palæſtram,
Vulgarium globulorum, & ligneorum Radiorum diſtributæ luſibus Areæ.
Seu breviùs certare, alternatimque ferire
Si globulis globulos, & buxum trudere buxo
Laus nova ſollicitet; vel ſi ter limite terno
Stantibus in quadrum Radijs, oblonga, rotundo
Labilis arridet, petitur quæ Pyramis orbe;
Diverſis diverſa virent Umbracula ludis.

Tudiculariũ ex ebore globulorum, ſuper menſam ludus.
Vel forte anguſtâ Menſæ viridantis arenâ,
Grandibus exiguos natos Elephantibus orbes
Prodere ſi quandò, & iucundam accendere luctam
Intra Tecta lubet; non unus eburnea fornix
Bella dabit. Procul eſte graves, rigidæque camœnæ:
Luſibus ùt Pueri, Pueris indulget Apollo.

Muſa fave: præcepta, vices, & præmia ludi
Eius Deſcriptio.
Docta, doce. Geminas, forma eſt quibus una, Sorores,
Conſimilesque vides animas, duo ſymbola pacis,
Globi ſimillimi. & candentes.
Virgineos niveo candore ferentia vultus.
Ah tamen, ah qualem rixarum impreſſit amorem
Lucri amor, atque animis res iucundiſſima parvis,
Gloria vindictæ! Generoſum in mutua bella
Vix ubi fervet ebur; nimis arcta furentibus exit
Tudicula ſeu Clava ex ebore aut oſſe, ad globulos propellendos.
Menſula: ſe totâ fugiunt, quæruntque palæſtra;
Hortator quibus â tergo, irarumque magiſter
Oſſeus inſiſtit plagarum inflictor; & artes
Edocet; ac feriens, feriendi inſpirat amorem.

Nam ſimul ac percuſſus, abit percuſſor in hoſtem;
Inque globum globus inſultans, non fallit amicæ
Conſilium, votumque manus. Nunc verbere pleno
Concrepat, & plagæ lætatur laude ſonoræ;

Hoſte modò attiguæ pendente ad labra ruinæ, *Ictus inſtigendi experientia varia.*
Ceù veniam ſimulans vafra pietate modeſti
Vulneris; & tanquam non tela, ſed oſcula libret,
Crimine ſecuro fruitur; leviterque ferire, *Diſpoſita circa pluteum foramina, in quæ detruduntur Pilæ.*
Contumulaſſe fuit: nunc cæci obliqua barathri
Ora tuens, ictu non totum obſtrinxit avaro;
Sed partim ignoſcens, qua parte pepercit, ab illa
Perdidit: abradens, in quam minús horruit, urnam
Trudit ebur; tantique reus laudabilis auſi,
Cum plauſu fugit; & pretium pro crimine poſcit.
Nec globus exiguo vix dum redivivus ab antro, *Ludentium alternæ vices.*
Sontem animam poſuit: tumulo redit ira relicto;
Atque inſtaurandæ ſtimulata cupidine famæ,
Omnia vulnifici implorat conamina flagri.
Quotque videt caveas, atque ora patentia circum,
Tot lethi putat eſſe vias. ergò inſtat eburno
Ariete: nec pugilis nivei dolor, iraque ceſſat;
Quin ſemel, atque iterum plagis inſignibus, illum
In barathrum miſſus bis terque beaverit hoſtis.
Aſt pila, quam toto crudelior æmula circo
Perſequitur, ſemperque novus deglutit hiatus;
Nec via iam teritur, cui non ſit meta ſepulcrum;
Cum certare feri nequeat virtute flagelli;
Dimicat inſidijs: extremas perlegit oras;
Vimque dolo eludens, donec ſua tempora norit,
Vindictam differt; ac certa in damna reſervans,
Corripit incautam meditatâ clade ſororem.
Imò etiam, fortuna aditus ubi nulla voraces *Stylus æreus, ſeu luſorius Rex.*
Obtulerit; nullis inimicam ſternere plagis

Edidiclt

quem inferiùs qui pervenit, ſibi punctum unũ recenſet. Qui medium anulum ſaltu pertranſit bina numerat ſibi puncta.

Edidicit. Mediæ ſupremo in vertice arenæ
Æreus, appenſum cui pro diademate vinclum,
Rex ſedet: hunc quoties pila percutit, æmula longè
Ingemit acceptas alieno in corpore plagas.
Tumq; magis; ſummé arrectis ubi cuſpide adacta
Proſiluit digitis; ſaltuque petulca volucri,
Ludifici capita inſultans ſuper ipſa Tyranni,
Actaque per medium rapuit diadema foramen.
Iſta ſibi geminas felix audacia palmas
Attulit; aſt miſeræ ingeminat fera damna ſodali.

Rex non petendus, niſi prius tranſmiſſa feliciter adverſa Portula.

Non tamen hos patuit libertas ſemper ad ictus.
Quà patet extremę oppoſita de fronte paleſtræ
Portula; inoffenſis vacua intervalla columnis,
Permiſſamque viam nullâ violaſſe ruinâ,
Jus dedit offenſo referendi præmia Rege.
Quid ſequor? oh calamis utinam foret æqua gerendis
Gloria! nil iſtis diſcendum reſtat in armis.

Reticulata palmula pilaris ludus Racheta.

Haud etiam illa recens, celebriq; accommoda ludo
Illaudanda domus: ſpatijs ubi laxior amplis,
Lubrica miſſilium pugnat fortuna pilarum.
His laudem ſperate iocis; ubi gloria lucrum
Evehit; & ſocio venient cum Principe palmæ.
Ille ubi marte manum, martemque exercuit armis;
Hæc pariter rotat arma. Fluit tota Urbe beatum
Rege ſuo Vulgus; fruiturque videre fruentem
Læta per eximios dantem ſpectacula luſus.
Nam, Deus aut fatuas vires, aut corpus ineptum
Cui dedit, hoc ſperet nullos in agone triumphos:
Hæc etiam invictum probat area: ſola, brevisque

Palmula

Palmula, ſuſpenſi quoties tenet ora Theatri,
Et referunt plenos manuum miracula plauſus!
Principis in dextra putat omnia poſſe: periclo,
Adſpice, læta ſuo, ad dominas, ùt pulſa, repulſa,
Ire, redire manus geſtit pila! dumque flagello
Aufugit icta, fuga reditum meditatur in ipſa;
Sollicitatque leves, non ut procul avolet, alas;
Sed citiùs reditura, volat: ſublata magiſtris
Ictibus, ex ipſo, ſcit ùt eruat omnia fundo;
Nullos non relevet caſus. Si languida repſit,
Erexere manus humilem: quum triſtia ſigna,
Indecoresque notas numeris expavit in imis;
Experta eſt ferientis opem: plagæque ſalubres
Jacturæ pepulere metum. Quàm ſæpe ruinæ
Certa ſuę, & iamiam patulo ſorbenda barathro,
Illius in manibus fortunam invenit! & ipſo
In tumuli ore reperta ſalus! Maiora pericla
Plus aliquid ſperare iubent: tum mira videndi
Tempus: ad exiguos ſive excipienda reſultus;
Seu circum implicitis exerret lubrica plantis,
Quęrentem fugiensq; manum, quærensq; fugacem;
Non eget ad palmam niſi tactu Principis uno.
Cruribus ex ipſis, poſt ipſum neſcia tergum
Fallere, tranſverſę volucris ſolertia dextrę,
Reticulata rotans verſatilis arma flabelli,
Proripit exultantem: ipſis dum ſpemque, fugamq;
Invenit in laqueis. Ergò non parcere Regem,
Unus amor. Pius interdum, ceu corrigat ictum,
Vim retinet; plagę furit at magis ira retentæ:

Ad deſignandas pilæ moras, numeri in parietis margine hinc & inde deſcripti.

Caveæ, ac Fori, in quos pilæ intruduntur.

Palmula laqueolis irretita.

Ludi artes præcipuæ.

O Nunc

Nunc tantùm obiectat clypeum; atque oſtendere verber,
Inflixiſſe fuit: modò plena in verbera abundans,
Stridula fulminei ſonat indignatio flabri;
Et pila feſtino nigrantia clauſtra volatu
Certa petit, Domino pariens tumulata triumphum;
Sic gaviſa mori: nec enim ſublime ſepulcrum
Ambiat; æratiſve, Ducem ſi exoptat ovantem,
Fatale, feneſtras ſubire. Libera pervolitans Tectorum exerret ocellis.
Libertatis amore, cadet captiva: nec ullus
Alta petenti honor eſt. Mediâ laudabile tantùm
In medio ludi ſtadio extentus funis. Ire viâ: medio extentum vix limite funem
Perfugere: & rapidis eludere retia pennis:
Ireque in optatam per nota foramina noctem.
His ſibi præſertim placet ictibus; ardua quando
Sphærula, ſubſultu quatiens Tabulata ſuperbo,
Alta ruit; tonitruque vocat ſua verbera longo;
Ictus laude digniores. Quam veniens rigidi cæſim quatit ira flabelli.
Acrior inflictum commendat ſibilus ictum;
Stridentemque ſequens, ſub hiantia ſepta ſupremum
Fert gemitum; nigrisque pudorem abſcondit in umbris.
Ergò ubi ſegne nihil, ſed tela, manusque volucres,
Vim facilem, dominamque ſui petit area mentem;
Qui iocus heroum, qui Principis; hic quoque Muſæ
Huiuſcemodi ludo ſtatuta Aula. Veſter erit. Vaneſcit ager, decretaque blandis
Aula Miniſterijs, latis caput efferet arvis.
Indulgete Ducum ſtudijs: procul improba ludo
Otia: nobilium labes procul alea morum:
Tempus, opes, animum, miſero ne venditelucro.
Quod ſi præcipui certamina ſeria ludi
Ingenijs

Ingenijs pugnare iuvat; neque iudice ſemper
Vincere fortunâ; bicoloribus area caſtris
Picta patens, dabit eximiæ diſcrimina pugnæ: *Latrunculorum ludus notiſſimus.*
Cuius poſt doctos Arabas, Romæ inde magiſtram
Scacchiadem veniſſe ferunt è Perſide Nympham.
His,quos Phœbus amat, Statio non una paratur
Luſibus. Arboreo quà Porticus ordine circum
Cingitur; umbrifero ſurguntque Sedilia gyro;
Hìc locus: hìc pictis fervebit arena tabellis.
Sed rudis, ignarusque novæ diſcrimina luctæ
Ne ſubeas; iuvat ante genus, præcepta, vicesque
Diſcere: ùt accincti veniant in caſtra Tyranni;
Utque Tyrannorum fortunam urgere duorum
Mens gemina inſudet; cæcas dum lenta per artes,
Indeprenſa furit taciturni machina belli.
Concipe nata manu artificum, ſimulataque buxo
Corpora, bellantum vultus imitata minaces; *Ludi ordo & ludendi leges.*
Illa nigro nigra, hæc albo candentia Rege,
Adverſa adverſis in ſigna incurrere ſignis.
Ordo ubi iam ſteterit belli; peditumq;, equitumque
Nomina, vim, leges dignoverit; agmina luſtret
Ante animo ſecum luſor, ſeriemque triumphi, *Nihil indefenſum, & nihil temerè.*
Atque omnem belli mens digerat ordine molem.
Principio incautos ratio ni temperet auſus;
Primi in fata ruant: nemo indefenſus in hoſtem
Provolet; aut procul á ſocijs audentior erret:
Sæpe reverſuro via defuit: undique ſeptus
Concidit, & ſubitum cita mors eſt ulta furorem.
Nil igitur caſu, nihil hortatore movebis

Impete: uterque malis iter eſt; omneſque ruinæ
Non alios habuere duces. In damna priuſquam
Sæva ruas, tua regna vide: ſemperque Tuorum
Anteferenda ſalus. Penetra impenetrabilis hoſtem;
Sparge metum tutus: libertatemque nocendi
Integer exerce. In primis cuſtodia Regis,
Cura ſit: huic omnis ſpes, & fiducia belli.
Forte patens ſimplex aditus, via funeris illi
Sæpe fuit. Quare invalido prætoria vallo
Si male tuta timent inſtantem cominus hoſtem;
Regi hortare fugam: verſas hinc objice Turres,
Præſidium lateri: ſolij defendere honorem
Tunc alia poterit tutus Regnator in arce.

Regi in primis conſulendum.

Regis Statio quando, & qua ratione, immutanda.

Non tamen omne malum penuria. Copia eumdem
Perdidit; immani quum denſa per agmina ſaltu
Inſidiator Equus, Regi felicibus auſis
Incubuit: circum effugijs, heu! Limite clauſo,
Auxilia obſiſtunt miſero; vireſque ſalutem
Impediunt: & ſi poſſit minùs, omnia poſſit:
Subſidiumque ferat, qui detrahat. Ergò fideles,
Sed quamquam fidæ, vetitæ ſuccurrere turmæ,
Ante ſuos oculos deploravere vigentem,
Florentemque mori. Caſu nihil ægrius illo:
Sanus obit; ſuaque ipſa Ducem munimina produnt.

Cavendum ne à ſocijs ſtipatus effugio careat.

Cogere non adeò vires, ſed viribus uti
Noſſe ſuis, multum eſt. Si Regno ſoſpite, Regi
Conſultum ſatis; ut noceas, tum denique nullis
Parce dolis: ultrò cedendum cominus hoſti
Sæpe dedi peditem; mox calle malignus aperto
Signifer

Signifer, extrema volitans de ſede, Elephantem
Turrigerum, obliquo non ſternere diſtulit ictu.
Sæpe & Reginæ meditatus fata ſuperbæ,
Apta dolo Sonipes longè loca prævidet; inde
Curvata artifici lunat veſtigia greſſu;
Donec Reginæ exitio, Regive futurus;
Præclarum ad furtum, quæſita ſede potitur.
Exanimata metu pallet regalis Amazon.
Heu! Quid agat? Fugiat? Miſerando victima letho
Deſeritur Coniux. Pro Coniuge bella capeſſat?
Certa mori eſt. Inſultat Equus, quem gloria tollit,
Audacemque facit prædæ fiducia magnæ.
Illa ſibi, aut miſero non effugienda Marito
Fata videns, moriamur, ait: ceciditque Virago
Servatura Virum. Spolijs graſſator opimis,
Et claræ ereptis exultat Amazonis armis;
Inde per hoſtilem paſſim dat funera campum
Victor Eques. Fuſas acies, captiva cadentum
Carceris urna capax, congeſtaque corpora condit.
  Hinc cave, ne fugiens, & inobſervatus iniquum
Fraude quis in bellum redeat: ſeu grandibus auſis
In Dominæ thalamos Famula ambitioſa feratur.
Sæpe etenim viduo mens hæc fuit orta Tyranno,
Sceptra dare Ancillis; Nuptasque in bella ſecundas
Ducere; ſi valeant ſupremam attingere metam.
Illæ iter accelerant, ferventque cupidine Regni:
Sed facilis prohibere labor. Caſtra ultima Turris
Obſideat; torpent Famulis audacibus alæ;
Sceptra quibus, ſoliumque, gradu ſors invidet uno.

Signifer uti ad inſidias locandus.

Equi inſigne facinus.

Reginæ excidium.

Cæſæ Reginæ alia interdum ſubſtituta.

Ne id ſuccedat, quo artificio cavendum.

At quibus adverſę inſidijs in vincula ducas
Regnatorem Aulæ, ratio non una, nec unum
Eſt opus. Interdum Turri ſuccedere Turrim
Proderit; aut geminas dominari Turribus oras;
Quas profugus Princeps anguſto iure tenebit.
Sæpe etiam extremi bellatrix filia vulgi,
Auſa ingens facinus, laudem maioribus armis
Eripuit: magnum audendo ſibi quærere nomen
Impulit ambitio; & Famulæ ſummittere Regem.
Non tamen hunc contrà ſola audeat ire; nec ullus
Bellantum: ſummum ille ex omni parte, nocendi
Ius habet: ac, propiùs pugnent ſi ſingula, cunctis
Sufficit; & vaſtum ſolus populabitur agmen.
Principis in mortem fera conſpirantibus adſit
Hortatrix operum Virgo; Dux fœmina belli.
Illa potens armis, primùm regale laboret
Præſidijs nudare latus, ſi nulla pateſcat
Vulneribus via: ſi varium tranabile fato
Cernat iter, totidem inſidijs occludet hiatus;
Inque omnem comitum iaculis dominabitur oram.
Quum via ad exitium ſimplex; ſi recta, Elephantem,
Aut Vexilliferum, ſi obliqua, immittet Ephebum.
Illa retro auxilijs facinus crudele iuvabit:
Urgebit ſocias; aut ſi non criminis illa
Erubuit tanti, poſtquam ſibi provida, tergo
Conſuluit; propiore gradu Regem implicat hoſtem;
Antiquumque odium non exorabilis explet.
Ille cadens, tulit hæc miſeræ ſolatia cladis,
Reginæ cecidiſſe manu: caſusque Tyranni,

Regem vincendi, varium conſilium.

Regi ad hoſtem cominus invadendum undequaque poteſtas.

Ludi exitus, & victoriæ.

Eſt

Eſt funus Populi. Rege hactenus omnia vivo
Integra: at occiſo procumbunt omnia Rege.
His loca delicijs, & honeſtis otia ludis
Spondent Pieriæ naſcentia Rura Iuventæ.
Hæc meruit virtus. Virtus poſt otia maior:
Dulcior, & ſociâ ſequitur virtute voluptas.

DE

SACRATISSIMA SINDONE

CARMEN.

MUſa coloratum divino Sanguine Linum,
Exanimi viva ora Dei, venerata canendo,
Incipe. Nulla pari iactent ſe Pignore Regna.
Nobile opus, divine labor! cui funera vitam,
Cui maculæ tribuere decus! Quæ condere tanta
Ars potuit, non artis opus? Si cæcus Apelles
Pinxit amor; laudetur amor: ſi criminis hæc eſt
Gloria, ſanguineæ diſponere lumina flammæ;
Parcite Virtutes; habeat ſua prœmia crimen;
Et ſceleris laudetur opus: ſi vivit Imago
Mortis ope; ùt potuit roſeos dare pallida vultus!
Ut potuit vivæ Mors eſſe magiſtra Figuræ!
Tu, quem longa manet Solij cuſtodia noſtri
Aliger, æthereæ Princeps non ultimus Aulę;
Pande precor, cui debentur miracula Dextræ;
Unde datum, ùt memori poſt Secula ſera, Sabaudum
Venerit

Venerit in Regnum fato, Venerabile Textum;
Triſte doloris opus, ſed nobile Pignus amoris.
Duri ignominiam Ligni, tam turpe dolorum,
Quam crudele genus, tolerabat ab arbore pendens,
Numen homo: æterno Proles æquæva Parenti:
Quem pietas irata Patris, ſed amantibus iris,
Decrevitque, doletque mori, ſi tangitis Axem
Triſtia. Vulnificâ traiectum tempora Sylvâ,
Traiectumque manus ambas, & utrumque nefando
More pedem, atque humeris hebræi ſigna furoris
Adſpicit, & pluvium lacero de corpore vulnus:
Funereum inde rigere gelu; ſordere beatas
Triſti nube genas, & duro lumina ſomno
Cluſa videt, totoque potitum Numine lethum.
Oh, ait, oh pretioſa ſalus, quam ſanguinis undâ
Numen emit, pretioque necis! Mortalia quantum eſt
Servari! rigida heu pietas! indulſimus hoſti;
Natum interficimus: crimen graviore piatur
Crimine: ſic autem fas eſt; vivetis iniqui;
Iuſtus obit: moriens morituro conſulat Orbi.
Hàc tamen imperio umbrarum, Populoque rebelli
Indulſiſſe tenus ſatis eſt. E' Iudice rurſum
Induo Nate Patrem. Dentur iuſtiſſima damnis
Præmia; ludibriumque ſuper, ſit gloria: Squallor
Pullulet in lucem: fiant monumenta Triumphi,
Inſtrumenta necis: digna eſt infamia thure,
Probra habeant Aras; non quidquam illuſtrius Orbis
Accipiat Templis: & quę deriſit, adoret.
Te deplorati Vexillum inſigne Triumphi
Biſantina

Biſantina Crucem primúm Delubra videbũnt;
Magnus ubi Conſtantiadum, qui Tartara bello
Vertet, adoratæ palmas debebit habenę;
Quam mox Inſubria excipiat, ſervetque perennem:
Namque ea nobilius non ſperent Munera Templum.
Teque oh divino imbutum Diademâ Cerebro,
Gallia ſupplicibus veneretur prona Coronis:
Quondam & Cæſareas flectat Germania frontes,
Lora tuens complexa Deum: Lapidemque ſepulcri
Cuſtodem; & Clamydem contempti inſignia Regis,
Dives poſthabito Hiſpanus reverebitur auro.
Oh tamen, oh cunctas inter felicior Urbes
Roma! Tibi exuvijs implendæ grandibus Aræ.
Ligna ſalutaris Cedri, non impare Templo
Excipe; ſacrilegoque ſacratum Vulnere Telum:
Felices ſcelerum Virgas; teſtemque Columnam
Plagiferi ſonitus, tempeſtatisque cruentæ;
Calcatosque Gradus paſſo crudele Tribunal;
Quos Populorum olim pietas generoſa fluentum
Flexa genu, uda genas legat; & veſtigia lentis
Producat ſtudijs; Regesque in vota morentur.
Ergo agite ò ſimplex animorum turba volucrum,
Sydereæ Mentes, queis numine tradita noſtro
Regnorum Cura incumbit; diſperſa colendi
Indicia opprobrij, pretioſa labe fluentes
Exuvias, laceras & opes, maculisque decorum
Quidquid erit, legite, & Regnis ſervate futuris.
Dixerat: impatiens operum, pulcrique laboris,
Antevolat iuſſa. It Regum ſtudioſa clientum

Turba potens; ditare eadem, ac diteſcere cura eſt.
Non ſic Allobrogum Cuſtos, cui Numen avarum
Hactenus. Ille dolens tanto, ac tam paupere Regno,
Rumpit in hęc. Equidem ſperavi talia nunquam;
Cum mihi venturos præclara ab origine Reges,
Geſta Virûm manifeſta dares. Hæc ſcilicet, illa
Eſt Regio? metuenda Stygi; duo fulmina Thomas,
Humbertosque datura pios, Magnosque Amedeos,
Qui virtute Rhodum ſervent; turbent Orientem;
Et Solymæ tergant lacrymas, & vincula ſolvant?
Nimirum indignos, emptæ qui ſigna ſalutis
Oſtentent! Alij Solymæi præmia Regni
Ampla ferent; illos Solymæ diſcrimina poſcent?
Poſthabeant Aulam Caſtris, pacemque periclis;
Vulneraque hìc tantùm ſperent. Quęnam altera poſt tot
Bella, tot exhauſtos pro Religione labores
Soletur merces? Tantùm Victoribus iſtis
Prœmia defuerint? Huc Regni robora cogent;
Bella gerent; Vincent; inopes ſua Regna reviſent.
Plura locuturam Solio ſic Numen ab alto
Increpat indulgens. Ne queſtu rumpere inani,
Regna gemens non flenda, nec ullis invida Terris.
Te maiora manent: & quę ſparguntur in omnes,
Unus habebis opes. Non gutta, ſed unda cruoris
Eſt tua: Te cuncti hæredem fecere dolores.
Et necis, & probri genus omne, brevesque ſagittas
Spinarum, & crudi manibus veſtigia Clavi,
Dedecus inflictum malis, & poſthuma fata
Pectoris, atque humeris odia inſatiata flagelli,
Membra,

Membra, cicatrices, ludibria, vulnera, mortes
Clarum opus adſpicies, & Sindone habebis in una:
Numine quæ impreſſo rutilet, monſtretque cruentam
Hiſtoriam, funusque recens, ipſumque Cadaver.
Fortunati oculi! Lacrymis, quos dulcibus olim
Expleat occiſum lucens in Sindone Numen!
Magnum odium ſceleris, ſanctas ſimul excitet iras;
Spem faciat votis, ſpiretque à morte ſalutem!
Hæc erit Allobrogum merces, & gloria Regum.
Fortunata Domus! Pretium cui creditur Orbis;
Cui pro theſauro Deus eſt! Multum altera Dona
Criminibus debent; nullam hoc in Munere tantùm
Partem habeant: neque contactu ſceleretur iniquo;
Ponet ſola manum pietas. Tibi maxima Proles
Longa Sabaudorum, & ſeries puriſſima Regum,
Grande Decus colere ante omnes ſit cura; Tuoque
Servare in Regno, quod Te, tua Regnaque ſervet.
Nunc querere ò lectæ Cuſtos fidiſſime Gentis!
Rumpe moras; tua laus operis: Te concipe digna;
Digna Deo: vocat ille omnem labor ultimus artem.
At quàm nobilibus properes primordia curis,
Temporis ante vices, & fata tibi ordine pando.
Ilicet obſcuri quod nox tegit alta Futuri,
Mentis habent oculi: ventura iubentur adeſſe
Secula: cuncta ſuos diſtingunt Tempora caſus:
Ut longos Solymæ Sindon ſervata per annos,
Et captiva magis, quam cuſtodita lateret:
Ut bello victor Francus portarit eois
Gentibus occaſum; tractis in vincla Tyrannis:

Sacratiſſima Sindon Hieroſolymis diù detenta.

A Godefrido Campaniæ Com. in Patriā aſportata.

 San-

In Burgundiam Belli occaſione translata.

Sanguineumque dato referens pro ſanguine Donum
Campanus dedit inde Suis Godefridus habendum:
Implicita helvetico mox eſt Campania bello;
Servavit, deinde invidit Burgundia Pignus:

Campaniæ reſtituta. á Marghar. Ludovico Sab. Duci nupta Camberium fertur.

Hinc redit ad Dominos; atque ultima Pignoris hæres
Huc tulit in magnam cœleſtia Lintea dotem.
Heu Thalamo gaviſa brevi! Dum Sacra referre
Mox agitat Spolia, antiquis & reddere Templis;
Deberique putat; vis haud humana reſiſtit:

Vidua Marghårita ut eam Chamberij reponat, prodigijs cogitur.

Torpet equus, tanta incumbit cui Sarcina Numen.
Conatæ riguere manus: ſtupet inſcia cauſæ,
Auxiliaturæ fatalis inertia turbæ.
Oſtendêre Deum miracula: Fœmina monſtro
Paruit: electaque habitavit Numen in Aula,
Æternumque habitat, certaque in Sede moratur.
Continuò auguſtas Aras, Molemque ſuperbam
Secula promiſere. Offert ſe Regia Tauri
Pulcrior in ſenium: cui ſera, ſed inclyta forma.
Hìc videt ùt nigri clara caligine Saxi
Mæſtum fulget opus: pretium ſcintillat in umbra,
Et dulcem inſinuat maieſtas ſacra pavorem.

Sacellum Sacratiſſimę Sindoni Taurini dicatum.

Quæ priùs æra truces armata vocarat in uſus
Impietas, Regumque odijs ſervire coegit;
Tranſtulit in ſanctum pia magnificentia luxum:
Edoctumque reos aurum dediſcere ſumptus,
Luxuriat Templis, & cum pietate ſuperbit.
Se dominum videt Urbis, Apex: redit omnis in orbem
Machina, marmoreis altè ſuffulta Columnis:
Circum Aræ, & ſolidam ſcalpro debentia vitam,

viſaq;

Viſaque divinis cruciari marmora pœnis;
Ut ſtupeas teneris Simulacra gemiſcere Saxis.
Ære, auroque aſper, ſe ſe explicat ordo dolorum
Deſuper; his emptæ ſplendent Monimenta ſalutis;
Maxima conſpicuis, queis cingitur Ara, Trophæis.
Hanc videt, hanc ſtupuit cuſtodem Pignoris Ædem
Aliger: olim operis tanti tibi Carole gaudens
Servari decus; atque illo te laudat ab Ævo.
Reſpicit & denſum Populis undare Theatrum:
Et ſua cum lacrymis teſtari gaudia Gentes:
Felices oculos, felices dicere fletus.
Præterea, & venerandus apex, & fulgidus ordo
Pontificum, Procerum dives, Regumq; verendus,
Purpureusque Patrum: illinc arma, Virique, & aperto
Bellica pompa Foro; radijs ferientia Tela,
Et criſtis volitans pretium, mox pugna tubarum
Lætitiam ſtimulans, & adhuc quod longa videre
Secula feſtinant, momento effulſit in uno.

à Carole Emm. II. magnificè extructum, & exornatum.

Apparatus, & pompa qua Sindon Sanctiſſima ſolemnitèr exhibetur

At jam præcipitat ſtudium, curæq; voluptas.
Primus amor telam ordiri. mora nulla: vocantur
Stamina; venerunt: diſcedere fila jubentur;
Diſcedunt in fila comæ: tremulæque rotant ſe;
Dumque tremunt, capiunt vires; ſeque extenuando
Conſolidant: fit ſponte labor: jam textilis ordo
Miſcet opus: properat velox per ſtamina ſtamen,
Difficiles meminitque vias: nil præterit artis;
Itque, reditque; ligat, ſolvit; renovatquo tenaces
Amplexus; ſua vincla volunt male libera fila;
Ut coeat ſolidum levium compagine corpus.

Sacroſancta Tela, opus angelicum.

Ex-

Expletus labor eſt: quem nodis inſuper Ales
Aſperat arcanis; rabido ne Tempora dente
Quid valeant contrà: mox & cœleſtibus undis
Spargit; ut humanæ ſit vana audacia flammæ.

Sacratiſſima Sindon flammis ſæpius evaſit incolumis.

Interea gelidum letho, truncoque cruentum
Depoſuere Deum Matres: ſecat Aliger auras;
Ante oculos, interque manus, & bracchia ponit
Intextæ nivis exuvias. Venerata laborem
Magna Parens, una agnoſcit blandèque tuetur
Artificem; & quantum potuit permittere mæror,
Congaudet, laudatque manus, atque æſtimat artem:
Hortaturque ſequi; ſtimulosque laboribus addit.
Ad mæſtum revocatur opus: jam rite volutum
Sindone, cum lacrymis carum & miſerabile pondus
Proſequitur muliebris amor; conditque Sepulcro.

Tortores manuum Clavos, Spinasque cerebri
Carnifices, captoque ſuperbos Numine Funes,
Confeſſamque nefas Haſtam, Virgasque, Crucemque
Turba legens Comitum, promiſſis deſtinat Aris
Munera Regnorum. Majoris conſcius Ales
Fortunæ, ſolam tacitus Faber introit Urnam:
Inde trahens habilem ſpinam, quam fronte cruentam
Providus abſtulerat, meliores poſcit in uſus.
Nondum operi color ullus erat: [nam vulnus avarum
Iuſſerat ante locum, niveas non tingere telas]
Purpureos aperit fontes: ſervatque pluendo
Vena modum: prudens moderatur vulnera cuſpis;
Et liquidas diſpenſat opes: tacitusque laborem
Arcana regit arte Deus. Duo Corpora primùm

Divinæ in Sindone figuræ. Pictor Angelus.

Deſi-

Deſignare docet; quorum cõtraria formæ
Forma, illi dorſum dedit altera, & altera vultum.
In loca plagarum monitus diſcedere Sanguis,
Cuſpidis arbitrium ſequitur. Sua crimina primùm
Scribere Temporibus, pluvijsque cruore Capilli
Debuit; erubuitque ream ſe Spina fateri.
Inde ſcelus Longine tuum notat: ampla cruoris
Luxuria intumuit, maioris conſcia plagæ.
Labentes hinc inde manus penetrabile vulnus
Oſtendunt: eadem ſignat veſtigia plantis.
Parte alia monſtrant Humeri, quantùm ira Flagelli
Fecerit: heu! numera guttas, intellige plagas.
Ecce quies Operi. judex ſtetit Aliger artis;
Miratorque Sui. Ut ſuffert! ùt languet imago!
Ut ſilet; ùt loquitur! patet eſſe, nec eſſe Cadaver.
Eſt decor in maculis; & habent deformia formam;
Et plagæ feritate carent: Sua gratia Morti eſt.
Quin oculum tormenta beant: & amare, quod odit,
Cogitur. oh divini Operis cœleſtia Monſtra!
Muſa gradum revoca: juſtum proceſſimus ultrà.
Quid tantum auſa loqui? laus, eſt injuria: quando
Mortali licuit divina extollere linguæ?
Artifici Aligero, Noſtri quem texere cura
Suaſit, adoratum mox cuſtodire Trophæum,
Muneris in pretium tanti, perſolvere grates
Reſtat; & obſequio emeritum ſuſpendere plectrum.

Spina Sacratiſſima pennicillus.

REGIUS PASTOR.

In Strage SS. Innocentium, unicum ſibi Filium ab Herode ereptum luget.

ECGLOGA.

PAſtor erat Regi Corydon: Corydonis amores
Daphnis erant: fructus thalami puer unus avari.
Hunc etiam Herodis furor abſtulit: ergò dolore
Tantùm non moritur Corydon traiectus acuto.
Daphnide flens ſuper amiſſo, multam ille dolendo
Obſtupuit noctem: rupere ſilentia queſtus,
Poſtquam ſe dolor agnovit. Procul ab grege ſolus,
Irriguuſque oculos, mentemque moratus in uno
Daphnide, per montes, per devia devius errat:
Jamque ſuum pecori, iam flumini eundo dolorem
Narrat, & attonitis dura infortunia Sylvis.
I tantùm importuna mihi, non dulcis, ùt ante
Fiſtula: amara nimis, nec quæ mulcere cupido,
Speſve mihi ſuperet, faſtidia pectus acerbant.
Ite bonæ pecudes: Vos quondam Paſtor amavi;
Et meruiſtis enim; iam vos Pecus odimus omne:
Quamquam ignoſce; dolor nobis has efficit iras.
Nullus amor, nullius amor poſt Daphnida reſtat
Amiſſum: periere mei cum Daphnide amores.
Fons mihi pulcher eras, mihi Rivule, & Hortule pulcher;
Fons mihi cũ Daphnim, mihi Daphnim Rivule Daphnim
Hortule monſtrares: at abeſt quando undique Daphnis;
Hortule

Hortule, Rivule, Fons, nulla eſt iam forma, valete.
Dicite crudelem Fons, Hortule, Rivule Regem.
Hortule, Rivule, Fons, extinctum plangite Daphnim.
Illi pulcher Avus fuerat, pulcherrima Mater,
Nec ſum informis ego; nuper ſi me mihi reddens
Unda, fidelis erat: ſed adhuc formoſior ille
Et ſuperabat Avum formâ, formâque Parentes.
Vitibus ùt decori ſunt uvæ, ùt pampinus uvis;
Sunt decori ùt fontes herbis, ùt fontibus herbę;
Tu decus omne iugi, tu gratia vitis, & uvæ
Daphni! tuo qui nos, qui Ruraque funere perdis.
Parcite Paſtorum falces. Toleretur in horto
Carduus, & Spinis horrens paliurus acutis:
A Vepre non florem diſtinguimus, aut Cypariſſum
Robore ab informi, non nuda á rupe viretum,
Non à Valle iugum: par omnia contegit horror;
Omnia ubique meo ſunt Rura infecta dolore.
Dicite crudelem Valles, Iuga, dicite Regem:
Plangite formoſum Valles, Iuga, plangite Daphnim.
Daphni! ergò poſthac non Te mea lumina cernent?
Nec tua me? cuinam Tuguri, cui pauperis Horti,
Cui noſtri Pecoris [nec enim ſunt omnia Regis]
Cura ſit? aut cui parta diu tot plura relinquam?
Cui juvenes veniunt oleæ; cui tradita ſulco
Plurima propago, eſt uvam factura Nepoti?
Aut cui ſpem feci, cum veſpere ſedimus ambo,
Connumerare greges, & dicere lucra peculi?
Bruma licet geminum vix tertia compleat annum;
Quam mihi ſpem dederas, cum jam de nomine noſſes
Com-

Compellare boves; tentares cuſpide tauros?
Grandiaque exiguis prenſares ubera dextris?
Oh ego te quoties magnum felicibus Arvis
Promiſi agricolam! magnum felicibus hædis
Paſtorem! ante, genas ætas quam florida pinxet;
Te factura virum; iam te feciſſe maritum,
Atque ſcientem agri, & pecori præbere magiſtrum
Speraram. hæc rerum crudi molimina turbat
Vis fati. heu! nulla eſt fato prudentia major.
Dicite crudelem pecus, arvaque dicite Regem.
Plangite præreptum, pecus, arvaque plangite Daphnim.
Credideram non eſſe, miſer, niſi meſſibus iram
Grandinis, atque timenda lupi iejunia tauris,
Infeſtumque Satis fluvium; nihil inde ſiniſtrum
Eſſe ſuper: nec erant nobis nota altera monſtra.
At non ſylva tuis omnis Fera vivit in antris:
Et parit Aula Feras. jam parcite tigridi, & apro
Juſta canum rabies; non eſt fera peſſima, Tigris;
Non crudelis Aper; ſed tigride pejor & apro
Ira, ſed Herodis. Mala in omnia me unus adegit.
Dicite crudelem nemora omnia dicite Regem.
Sæpe etiam ùt pecori paſtor, pueroque timebam
Multa pater. Solet omnis amor comes ire timori.
Scilicet ille pedem molli ne crederet arvo;
Lubrica fallit humus: ſæpe illum è margine ripæ
Audentem vetui procedere; non bene ripæ
Creditur: imperio parebat protinus infans.
Sæpe etiam implacido vetui colludere capro;
Cornu namque petit: monſtrabam, peſtifer in quo
Inſidia-

Inſidiatur agro coluber; cuius malus hydrus
Eſt habitator aquæ. Puerum defendite lapſu
Orabam, puerum Superi defendite morſu!
Unicus eſt! Nec erant nobis ſuper altera vota.
Heu male cautus ego! Nec enim pejora cavebam.
Peſſima res agri, Dominus. Non herba, nec anguis,
Eſt tantùm ille nocens. En cui conſevimus agros!
Paſcito nunc Corydon vitulos, & ſuffice menſis.
Hæc me eadem videre ſenem, videre puellum
Rura: nec illa parum manibus debentia noſtris.
A puero duxique pecus: nec callidus unquam
Me Paſtore lupus de noſtro vixit ovili.
Haud dolus, haud unquam gladius dulciſſima noſtri
Non latro, non miles turbaverat otia ruris:
Solos paſtores hæc prata, hæc flumina norant.
Arma in te primùm Daphni huc venere: leæna,
Urſa, lupus nemora infeſtant; ignoſcitur illis:
In Daphnim ſævitur: & hoc quo judice? Rege.
Dicite crudelem nemus, arvaque dicite Regem:
Plangite diſcerptum nemus, arvaque plangite Daphnim.
Jllìc precipiti quà plurimus imminet undæ
Lucus, eram; pueroque ſedens tum forte parabam
Velleris electi contra aſpera frigora brumæ
Candentem tunicam; candentem Daphnis amabat.
Hei mihi! vox flentis, vox eſt audita minantis!
Militis illa minantis erat; Nati altera flentis.
Præcipito de rupe repens: amor addidit alas,
Et timor! inſpecto nudum ſimul eminus enſem,
Siſte, quid oh ſcelerate facis? ſiſte increpo, ſiſte,

Paſtor

Paſtor ego ſum Regis, & hic mihi parvulus infans
Unicus eſt: uni pius eſto, in cætera durus.
Omnibus hunc hædis, omni grege, bobus & agnis
Miles emam; dabo Rura, dabo, Natum excipe, cuncta:
Eminus hæc prono fruſtra de vertice iacto,
Præcipitoque moras: nec ubi veſtigia ponam
Certa, monent oculi. Sum Daphnide totus in uno
Funera iniqua legens, indeflexoque videre
Lumine, quæ volui nunquam vidiſſe, volebam,
Nempe oculi rediturum oculis hauſere dolorem.
   Intereá quid non agitabas ò bona mater!
O Tuguri bona turba! parat pars illa fideles
Vitæ cuſtodes latebras; tenet altera Natum;
Altera contendit manibus divertere ferrum:
Heu tamen! heu renovem quid ego tua funera Daphni?
Illum iterumque, iterumque ferit mala cuſpis: ubique
Plaga fit. Innocuus fluit undique, & undique ſanguis:
Hæc ego commemorans vivo tamen? oh ego cur Te
Miles inique, cruente, ferox, non colla prehenſum
Diſcerpſi? cur non? ſed opem poſt funera ferrem?
Me miſerum! potui pecudes defendere ab urſis,
Sæpe fugare lupam, fruges ſubducere nimbo,
Torrentemque Satis arcere, mapalibus ignem;
Uni nec potui tantùm prodeſſe Puello?
Infelix! Nato quis ſuaſit abire relicto
Longinquum? aut unà cur non in paſcua Daphnim
Deduxi? veniſſet enim: tùm ſi qua furentum
Ira virûm ſtricto tentaſſet Daphnida ferro;
Quid non feciſſem? Mecum illis ante gerenda

Res erat

Res erat. Ipſe canes, ipſe inſtigare moloſſos,
Contumq;, falcemq; manu intorquerē, bidentemq;
Et raſtrum, & quæcunq; priùs furor arma dediſſet;
Fundâ, fuſte, manu, morſu, me denique toto
Pugnaſſem. Quæcunque poteſt audenda parenti
Magnus amor ſuadere, furor potuiſſet amantis.
Servaſſem te Nate, aut non impune necaſſent.
Me priùs extinxet, peteret quam Daphnida ferrum.
At fata, At Superi adverſi, ſic perdere Daphnim
Sic voluiſtis! Et hunc ſpectaſtis Rura dolorem!
O' tantùm Domino Rura infelicia veſtro!
Diſcite ſævitiam Terræ; ſi vos quoque tangit
Hic mecum dolor: infandi ſit criminis ultor
Omnis ager. Medias ſedeat mors inter ariſtas:
Pro violis aconita legant: peſtemque malignæ
Ignotam ſpargant Menſis regalibus herbæ.
Herodem videant, & fiant vina venenum.
Regi electa pyrus, ſuccos dediſce priores:
Mellaque degenerent: virus pro lacte bibatur.
Poma colorato vitio ſic fallite edentem:
Peſtem ignoret, edatq;: & vultum & nomina mutet
Inſidioſa lues: mors fallat imagine vitæ.
Flumina, vos quoq; iuſta manet vindicta: inimicum
Torqueat hauſta ſinum, mentitaque vipera piſcem.
Aut ſi quandò tuos ſitiens inhiarit ad hauſtus
Rive, memor fueris, ſtomachoque ingreſſus iniquo
Viſcera per, per & oſſa, fibriſque medullitus imis
Perfure: ſævitiam crudeli in pectore diſces.
Aſt quid inane furo? Quid latrat inutilis ira?

Nec

Nec mea reſtituunt, alienáve funera Daphnim?
Accipe me, nemorum venio miſerabilis hoſpes,
Accipe Sylva meos, ùt quondam carmina, queſtus.
Sic malè producet Corydon ſua funera: vivet
Infortunati exemplum lacrymabile Patris.
Plangite iam miſerum Corydonem, plangite Sylvæ.

MUS DOMINICI PRÆSEPIJ VASTATOR.

CAllide grex, nocturne latro, Mus incola muri,
Exiguum mõſtrum, pygmęa Harpya, ſoporis
Tormentum, rea progenies, inimica diei,
Semper edax, ſemperq; fugax, & conſcia sẽper
Furtorum, cui nulla ſuo ſine crimine nox eſt;
Eſt amor in lucem veſtra edere facta: reosque
Haud damnare tamen; ſed in ipſa oſtendere culpa
Virtutem; magnoque encomia texere Furto.
Audite, ad Domini cunas, qua pervigil arte
Helluo Mus, quantaque ſcelus pietate patravit.
Infanti Præſepe Deo, Cunæque paratæ
Ingenio pietatis erant: Stabulique decora
Pauperies, & ſplendor inops, & pompa laboris
Fecit egeſtati pretium. Nec gratia parvo
Parva erat in luxu. Nudus de more, tremensque
Parvus humi iacet Omnipotens; crudumq; Decembrem
Heu! ſentit; rigidum in ſe ſe iam paſſus Olympum.
Vota facit prono confeſſus corpore Numen

Paſtor

Paſtor : magnus amor, magna eſt reverentia Matris:
Et dolet, & fruitur Nato : Patremque pudicum
Anxia ſollicitat pietas; miſeratur, adorat;
Poſcit opem, laturus opem. Nec egentia ſenſu
Ora putes : voces atque ipſa ſilentia pinxit;
Tantus in arte decor, tanta eſt imitatio vitæ.
Exuviæ virides, Autumni poſthuma dona,
Relliquiæ Octobris, circum compendia Veris
Fecere, & varios vultus umbratilis Arvi.
Aſpicis elatas imitari frondea ſylvas;
Exigua ingentes mentiri culmina Montes;
Credibileſque Urbes, teſtataque gramina campum:
Indeque fallentes hortos, fallentia poma
Fraude colorata obſtupeas, & credulus optes.
Luſerat in cera ingenium: flos cereus omnis,
Omnis & arbor erat. Mendacis imagine formæ
Falleris, & gaudes: rapuiſſet oliva columbam;
Caltha vocaſſet apem; paſſer veniſſet ad uvam;
Feciſſent pyra flava famem; ficusque putaſſes
Eſſe Autumne tuas: etiam tua lilia Flora:
Legitimamque roſam non diſtinxiſſet Aprilis.
Impare nec pompa, nec honore, nec arte minori,
Dextera Pictorum luſit. Dedit ora papyro
Corporaque, & gentes fecit: quà ſemper hianti
Ore locuturum expectas: quà rupe vereris
Præcipitaturum paſtorem: hic carmen avenâ
Stat meditans; & iam promittit fiſtula cantum.
Circum etiam tenera laſcivam ludere in herba
Credis ovem, mugire bovem; balare, ululare,

Hinc

Hinc pecus, inde lupum;ac medios latrare moloſſos.
Nec non audiri venientum hinnitus equorum
Creditur, atque arabes curſu fervere Dynaſtas.
His laudabilibus nugis, quæ ſeria vincunt,
[Gloria ſit vobis Pueri] fulgebat agreſti
Nobilitate labor, ſtudioque induſtria ſancto.
In Lare vicino Tectum ſibi forte locarat
Sorex, præclarus barbâ, venerabilis ævo:
Qui præſtat ſocijs gravitate, & nomine; iniquus,
Inſidioſus, edax, latro denique quotidianus;
Graſſator domuum inſignis. Vicinia tota
Hunc tremit: hunc omnes mactrę, hunc armaria norunt
Omnia. Non ſimilis quiſquam, luſtrare Coquinas
Seù ſit opus; ſeù noſſe locos, ſeù rumpere cellas,
Explorare arcas, noctesque implere rapinis.
Subductum nihil illi. Offas, bellaria, pernas,
Fruſtra, & dilectam ſervaſti Ancilla placentam;
Deſperans quidquam Menſis ſervare ſecundis.
Nam roſtrum, & dentes, atque unguis ad omne periclum
Optima. Proſperitas ſcelerum, fortunaque longa
Furtorum, multæque fugæ fecere ſuperbum:
Et graditur laudum plenus. Sibi fata parantem
Decipulam, nuce iam decies impune vorata,
Nobiliter fugit: vicibus ter quinque, prementem
Impiger evaſit Felem: bis unguibus atri
Raptoris malus evaſit: ſemel efferus, & vi
Pollens, morſurum prior ipſe momordit, & ipſis
Faucibus exiluit Victor; tantique triumphi
Gentis Avus multæ, narrare pericula geſtit:

Et

Et docet auſuros non inferiora Nepotes.
Conſcius ergò ſui, furandi doctor in arte,
Tot celeber geſtis, & tot ſucceſſibus audax,
Noctes, atque dies confidentiſſimus ibat.
Hìc Gulo palladias iampridem viſere ſedes
Haud dignatus erat: Magnatum namque per Aulas
Res illi melior: tamen affuit improbus: Illum
Sive recenter olens madido pictura colore,
Seù traherent lychni liquidę nidore Minervæ;
Affuit, è latebra caput exertans lepidus Mus.
Suſpexit, circumſpexit, proſpexit, acuto
Singula diſcutiens oculo: paulùmque moratus
Diſputat. Jnſolitæ quæ ſint ſpectacula Scenæ.
Acceſſiſſe iuvat. Mora nulla; accedit: at ecce
Urbes, arma, Viri! capiensque foramina ſaltu,
Aufugiamus, ait; latebramque potitus, abundat
Dimidius, mediusque latet. Secum inde ſenili
Multa agitat ſenſu. Quænam illa, & quantula gens eſt?
Hinc homines? Stupidi, taciturni, penduli, hiulci?
Aut hìc nullus homo,aut pygmæus quiſq;: quis horum
Non brevior me? haud cedo animis, ſi corpore vinco.
Ire juvat. Medius fidius, nox iſta videbit
Magnum aliquid. Perjurum animal, Mus peſſime Murũ!
Invalidi Feles, vos hac ubi nocte fuiſtis?
Magnificus, petulans, trux, ſacrilegus tenet Aras.
Inſilit, & reſilit; circummeat, obſtupet, audit;
Jamq; homines nutu,jam ſummo interrogat ungue;
Tentat quin etiam roſtro, morſuq; laceſſit:
Dumque cupit reperire, timet reperire periclum.

Aſt ubi perſpectæ fraudes, ubi cognitus error,
Et mentita Virûm patuit ſimulacra timeri;
Erubuit timuiſſe: ſuo iratusque timori,
Turbidus, horribilisque, & jam formidine liber,
Lætitiâque ferox, ac pluſquam Soricis iras
Concipiens, dignosque gerens Elephante furores,
Auribus arrectis, ſetiſque immane retortis,
Ebullire animis primùm; & furibunda ciere
Pectora: delictis totus pallere futuris;
Volvere grande malum. Stat cunctas vincere noctes
Criminibus; factoque locum ſignare tremendo.
Quid moror? Exuperavit opus; vicitque ruina
Conſilium. Non Mus, ſed monſtrum, peſtis, Enyo,
Bacchatur ſine lege: furens, atque ebrius ira
Turbine cuncta rapit; lacerat, vorat, effodit, aufert,
Roſtro, dentibus, ungue, manu. Jejuna leæna
Mitior incumbit tauris: odioque minore
Abreptam quęrens ſobolem, furit armena tigris.
Non mora, non requies: hac libertate nocendi
Luxurians, gaudensque malis, ultorque pavoris,
Quam ſtultè horruerat, ſtatuit male perdere gentem.
In pecudes, pecudumque Duces irruptio prima.
Non veri pecoris verus lupus. Obſidet inde
Sanctam Urbem: neque per Portas intrare patentes,
Sed laceri irrupiſſe juvat, per viſcera Muri;
Ferre manum Templis, & Turres dente ferire
Non timet, & ſacras arces delere Sionis,
Terribilis Muro Mus, pejor Principe Titto.
Culmina Scribarum, pharisæa que Tecta ruêre

Funditùs; ùt non Hieruſalem, ſed veriùs eſſet
Altera deletis Carthago diruta chartis.
Ite modò, & laqueos, & ſubdola tendere ligna
Spernite: præpingues, ſed inertes paſcite Feles.
Paſcite: non Felem ſaturum Mus horruit unquam.
Noſtrorum intereà tormentum eſt quale Penatum
Mus unus! tantâ laſſus, lætusque ruinâ
Abſtinet at tandem: ſeque admiratur, & effert;
Reſpiratque, ſibique placet: ſibi, credo, videtur
Hannibal ad Cannas. Riſitque nefandus opertum
Strage ſolum; medio diſcerptos ventre Menalcas,
Absque gena Mopſum, mento Corydona carentem,
Cui femur avulſum, cui bracchia: riſit, & Urbem
Dente ſuo victam, expugnataque Mœnia morſu,
Ventre ferens mediam Solymam: quoque riſit eoi
Sacrilegus, cœnatus opes, & munera Mundi;
Et ſua tergeminos ſpoliaſſe in prandia Reges.
Ergò tam lauta diſtentus pectora cœna,
Veſtra fides, ùt erat turgens! ùt lumina lucent!
Oſcitat, ingeſtamq; ùt reflat nare Popinam!
Totus non niſi venter erat. Non ille moveri,
Stareque non poterat, nimiæ præ mole ſaburræ:
Inceditque tremens, terramque abdomine verrit.
Macte gula generoſe Gulo. Poſt pabula, potus.
Utere ſorte tua. Sed jam meus helluo fonti
Incubat; atque inhians merſat ſe in lampade multus.
Inde natare labrum; populari lingua minervam;
Combibere egregiè: dulcem ſiccare paludem,
Et ſinere emuncta moribundam pallade flammam.

 At

Aſt dum relliquias unctæ per labra rapinæ
Perſequitur, mentumque cruentum ſanguine lychni
Elambit, tergitque probè, barbamque repectit;
Ora levans, crepitare focum, barbæque periclum
Admonitus, fugere: at vindex jam flamma latronem
Carpſerat; & ſummi flores arſere pilorum.
Excutit ille, gemitque malo: nec enim extitit unquam
Ulla in ſoriceo par altera barba Senatu.
Nec ſatis ò gurges? Quo jam pygmæa vorago
Ire paras? Divina [nefas] Cunabula carpis?
O monſtrum, ò cyclops, ò labes, parvula Erinnys,
Parve Satan! Puerum cęleſtem armenta verentur
Grandia; Bos, Aſinusque colunt; te, Beſtiola, imum
Armentum, te nulla Dei reverentia tangit?
Quid queror? Abſtineo irarum: Mus eſſe modeſtus
Cœpit enim. Scitè acclinans in pectora mentum,
Compoſitusque oculos, greſſum cum lege gubernans,
Limen adit Tuguri: ſimul implens ora pudore,
Urbanusque ſatis, Puerum, Puerique Parentes
Ter capitis colit obſequio: nil fecit ineptè.
Sic eſt. Sæpe Feras homines habuere magiſtras;
Diſcere non pudeat, divina à Mure vereri.
Strenue Mus, laniaſſe gregem nihil eſt, nihil Urbem:
Parcjmus. Omne una crimen pietate piaſti.
Armento gravis, Urbe gravis fuge, digere cœnam:
Et poſitæ hìc tam rite famis tecum avehe famam.

EPIGRAMMATUM LIBER.

HEROICA.

✠

THOMAS HENRICUS TURONIUS GALLICI EXERCITUS IMPERATOR *MURALI ICTUS TORMENTO IN ACIE CONCIDIT.*

EPIGRAMMA I.

ARmipotens vetitum tranarat Gallia Rhenum;
Cuncta ſub hoc belli Principe, tuta putans.
Continuò adverſis tamen advolat Auſtria Signis:
Certatim reſonis fervet Arena tubis.
Hic meditans palmam, dum ſe fidentior Hoſti
Explicat; & tota pectoris Arce patet;
Eminus infeſtis Mars quem videt æmulus armis;
Fulmine, quo novit poſſe ferire, ferit.
Quo ferit? obvertit Tormenta tonantia belli:
Arx velut in ſolo ſit quatienda Viro.
Invide Mars licet, hoc donat tibi Gallia crimen:
Funera penſantur nobilitate necis.
Pectora (ſic decuit) Muralis machina fudit;
Pectora, quæ Regni Murus, & Agger erant.

LUDOVICUS BORBONJUS PRINC. CONDÆUS

Iulij Cæſaris commentarios memoriter tenuiſſe fertur.

EPIGRAMMA. II.

QUÆ gladio eſt auſus Cæſar, calamoque locutus,
Omnia Condæus mente potitus, habet.
Tantaque dum memorat, quibus eſt memorabilis ipſe;
Ipſum animum credat Cæſaris, eſſe ſuum.
Ingenium, mores, virtutem agnoſcit eandem,
Cumque gerenda legit, cumque legenda gerit.
Quod ſtupeas, licet armigeri ſectator Juli;
Pompeij optavit, Theſſaliæque diem.
Quò ſi Condæum pro Magno fata tuliſſent;
Vincere Victorem qui potuiſſet, erat.
Si dubitas, ambo redeant, & iudice Mundo,
Cæſaream confer, Borboniamque manum.
Quem fama anteferet, quid martia Gallia dicet?
Hic meus eſt Cæſar, ſit tibi Roma tuus.

✠ ✠ ✠

NAMURCUM A LUDOV. XIV. GALLIÆ REGE EXPUGNATUM,

Deinde à Gullielmo Naſſavio Britanniæ Rege Summa vi recuperatum.

EPIGRAMMA III.

SUrgit inacceſſa quod iberum Rupe Namurcum,
Quod vallant ſocio flumine, Moſa * Sabis;

** fluvius vulgo la Sambre.*

Centum

Centum ubi ſtant circum Moles, Munimina centum,
Unde vomunt centum Turribus Æra neces;
Quod neque mille queant redivivi evertere Achilles;
Totaque ſi rueret Græcia, luſtra decem;
Quod fruſtra Auſtriaco, fruſtra obluctante Britanno,
Borbonidæ Magni ſubdidit una manus;
Oh decus! hoc idem Belgis numeroſus, & Anglis
Naſſavius, Gallo non prohibente, rapit.
Quæ potior palma eſt? Hæc tam ardua vincere bello,
Tu Gullielme potes; Tu Lodoice ſoles.

IN DUCIS CAROLI LOTHARINGI FUNERE.

EPIGRAMMA. IV.

HEU! viduata tuo langues Germania Marte!
Longus hyperboreo planctus in Orbe ſonet.
Defleat hunc Iſter, per quem Romana, Vienna es:
Hunc Tibris, ſine quo Turcica, Roma fores.
Quid numerem everſas domitis cum Gentibus Arces?
Regnaque barbaricâ ſanguinolenta nece?
Thrax, Geta, Maurus, Arabs, hoc ſoſpite, frœna tuliſſent:
Erepto, neque Vos Numina, tuta ſatis.
Ecce iterum, ecce Aris inſultat Luna latinis!
Aut Lothare, aut ſimilis, ſi potes, Axe redi.
Non quòd Roma fleat, pia ſydera flete; quòd Orcus,
Quòd Scytha gaudebit, Terra, Poluſque dole.

JOANNES SUBIESCUS REX POLONIÆ
Ab Infidelium faucibus Viennam liberat.

EPIGRAMMA V.

DAmna juvat meminiſſe; Diem, quo cuncta ruebant;
Imperiumque Tuæ ſuſtinuere manus.
Adſpice: lapſurâ jam nutat Roma Viennâ:
Mox * Mehemet pulſo Cæſare, Cæſar erit.
Fruſtra illam validæ Turres, fruſtra arma tuentur:
Odryſio fruſtra in ſanguine Caſtra natant.
Barbarus inſtat ovans: actum eſt: at! Luna quìd horret?
Agmina cur trepidant? Te Subieſche vident.
Nulla mora: irrumpis, ſuperas, cæde omnia comples;
Fuſa ſuperſtitio, barbariesque jacent.
Oh lux! oh decora! oh plauſus! Germania, Cæſar,
Roma, Vienna, Orbis redditus ipſe ſibi eſt.
Regnate Auſtriades, felices Vivite in Ævum.
Hic unus, fecit Secula tuta, Dies.

* *Mehemet. IV. Turc. Imperator.*

AD LEOPOLDUM IMPERATOREM
Ne Bellum adverſus Infideles abrumpat.

EPIGRAMMA. VI.

RErum ingens Columen, Romæ Tutator, & Orbis;
Temporibusque malis, Optime Cæſar ades.
Materiem quantis Tibi bella dedere Triumphis!
Quantùm ipſis crevit Caſibus Imperium!
Quis Tibi, Biſtonidum ſine clade, revertitur annus?
Quo Biſantinæ non tremuere Fores?

Verte

Verte Aquilas omnes: nec ſanctum divide Martem:
Da pacem Rheno, Danubioque nega.
En Tibi captivas tendit* Roma altera palmas!
Quin agis? atque etiam Sceptra Orientis habes?
In Conſtantini Solio Leopolde triumpha:
Protegat & Romas, una Vienna, duas.

** Conſtantinopolis, dicta Romania, Scil. Roma nova.*

AD LUDOVICUM XIV. GALLIARUM REGEM

Quo tempore arridebat ubique belli fortuna, ut pacem Chriſtiano Orbi reſtituat.

EPIGRAMMA VII.

OBſtat adhuc Lodoice Orbis; victusque minatur:
Nec mala fert belli, nec bona pacis amat.
Aggerat acceptas, cupiens ſarcire, ruinas:
Et redit ad clades per nova bella novas.
Te tamen aſſidui mæſtum fecere Triumphi:
Nec fas, placatam Gentibus eſſe manum.
En Treviri, en Montes, Friburgum,* Ardenna, Namurcũ
Barcino!, & Italidum Janua, Secuſium!
En celebres centum iunctorum in fœdera Regum
Cum Populis Urbes, quæ cecidere ſuis!
Hoc Te Magne decet. Spolia exue, divide Victis:
Da pacem Terris, quam ſibi Terrà negat.
Compoſito, dicent, cum ſederis arbiter Orbe;
Et capere ò Lodoix, & dare Regna, tuum eſt

** Luxemb.*

AD

AD PRINCIPEM EUGENIUM A SABAUDIA

Cum Supremus Armorum Præfectus in inferiorem Pannoniam à Cæſare mitteretur.

EPIGRAMMA. VIII.

EUgeni, quem Rhenus, Rhodanus, Padus, Iſter ovantē
Videre, Auſtriadum, Romulidumque Ducem;
Jamdudum Æmathios oblite relinquis inultos;
Nec tua barbaricus pallet ad ora furor.
Enſem fatiferum mæſtiſſima Luna reviſat:
Sentiat occaſum nec procul eſſe ſuum.
En Aquilas, en ſumma potens Tibi fulmina credit
Jupiter: his armis toto Oriente tona.
Gallia mirata eſt Puerum; Juvenem Auſtria; ſpectent
Littora graia Virum, mox Solymæa Senem.
Vana rogo? de Te ſunt hæc oracula: vincet
Caſtra Puer: Juvenis Regna: Vir Imperia.

AD PRINCIPEM LUDOVICUM BADENSEM

ut cum Sobrino Eugenio, qui noviſſimè Turcicum Imperatorem ad Tibiſcum profligaverat, Hungaricum bellum repetat.

EPIGRAMMA IX.

MArs novus in Terris, quo Caſtra movente, Tyranni
Ante diem pugnæ ſe cecidiſſe putant.
Te Duce, ab arctoo quis non timor exulat Orbe?
Aut ubi non palmas Cæſaris arma metunt?

Irruat

Irruat Odryſij collecta potentia Mundi ;
  Haud numero virtus exuperante cadit.
Qui Tibi tum plauſus ! Cum non numeranda quotannis
  Agmina Cæſareis obtererentur Equis !
Quin igitur redeas ? Quá nil plùs horret Avernus,
  Quam Conſanguineos in ſua fata Duces ?
Te vocat Eugenius magni clamore Triumphi.
  Auſtriaco Martes ſternite Cuncta Jovi.
Imperij gemini, gemini pro Cæſare Mundi
  Bracchia Vos : Unum ſis Leopolde Caput.

AD VICTOREM AMEDEUM II. SABAUDIÆ DUCEM

Italicæ Pacis Aſſertorem.

EPIGRAMMA. X.

SUmme Italum Cuſtos, qui vim virtute retundens,
  Hoſtibus exactis Clauſtra latina tenes;
Quo Duce contremuit, ſiluit quo iudice Mavors;
  Dum Belli arbitrium, juraque Pacis habes;
Cui tribuit raptas Bellona exuta Coronas;
  Multaque de partâ Laurea pace venit;
Ferrea clauſurus ſtaret cum limina Janus,
  Et manibus claves traderet ille Tuis;
Sume Tibi, dixit, fatalis munera Templi :
  Claudere, ſeu cluſas ſtat reſerare Fores.
Munus utrumque Tuum eſt. Tua Pax, tua prœlia, Victor
  Prodigijs reſonent Tempus in omne ſuis.
Te bifrons Ego præſentem, Te cerno futurum.
  Quantus es ! At plus eſt cernere, Quantus eris.

FRANCISCI

FRANCISCI MAUROCENI

Venetum Ducis Geſta, & Victoriæ.

EPIGRAMMA XI.

1. *Navarrinum vetus, & novum* 2. *nunc Italis Napoli di Romania, & Napoli di Malvaſia* 3. *Inſula S. Mauræ* 4. *nunc Preveſa prope Actium quæ Civitas dicta fuit Nicopolis, [quod Grecè ſonat Urbs victoriæ] ob victoriam Actiacam ab Auguſto de Antonio relatam.*

ORbis prodigium, primæque Urbs æmula Romæ;
Clara togis, armis, Imperioque Maris.
Inter laurigeros, quorum virtute Parentes
Tot latè in Populos jura Senatus habet;
Hunc, quem nemo ſuo bellis Dux anteit ævo;
Fama canat, Magnis, Cæſaribusque parem.
Subjugat hic freta Naupacti, Regnumq; Corinthi:
Huic tota Jonij ſternitur Ora Sali.
Priſca, recensq; [1] Pylus, Methona, Patræq; Coronæq;
Et Domina ægeis bina [2] Epidaurus aquis;
3 Leucadia argivis, romanis turgida Faſtis
4 Nicopolis, Sceptris Attica, Sparta Viris,
Jam famulæ antiquos obliviſcuntur honores,
Sydera adeptorum Nomina Clara Ducum.
Non pudet Alcidem, non Martem ſpernere; & omnes
Uni Semideo poſthabuiſſe Deos.

AD MAXIMILIANUM EMMANUELEM BAVARIÆ DUCEM.

Vſque ad fatalem hocſteti pugnam Victorijs clariſſimum.

EPIGRAMMA XII.

* *Gener Imp. Leopoldi.*

CLarus in hanc lucem primo tu Cæſaris ævo
* Filius, Imperij viſus es eſſe * Pater.

Ceſſit

Ceſſit Hymen Marti: Thalamo rapis arma relicto: *Viennæ obſeſſę primus cum exercitu opitulatur.
Statque tuâ, præceps dum labat Orbis, ope.
Quid Tibi ſervatâ non Auſtria debuit Urbe?
Quòd non præda fuit, quanta ea præda fuit.
Hinc gemina hungarici Domina inſuperabilis Iſtri, 1. Belgradum
[1] Græca Alba, & ſummæ ter [2] Buda juncta Budæ, 2. Triplici Propugnaculorum ambitu.
An ſimilem quenquam, natum agnovere tuendis,
Atque expugnandis Arcibus eſſe Ducem?
Fruſtra & ſequanico fidit [3] Moguntia Marti, 3. 4. utraque à Bavaro expugnatæ.
Marte nec innumero firma [4] Namurca ſatis.
Hoſte hinc mutato, mutat fortuna Triumphos: 6. Tirolium, Sveviam Victorijs percurrit.
[5] Auſtriades victor, [6] Vindelicosque quatis.
Heù! fuit Hocſtetum Pharſalia! Gallia fati
Conſortem traxit fœdere juncta ſui.
Triſtia ſed memorans Fama olim, & proſpera, dicet:
Proſpera Virtutis, Triſtia Sortis erant.

Demetrij Ruthenorum, ſeu Moſcorum Magni Ducis Inter Epulas cæſi tragicæ vices.

EPIGRAMMA XIII.

SÆpius ejectus, Fortunam marte retentat;
Ut quæ Regna ortus debuit, enſe petat;
Conſequitur Solium: celebrat convivia: Martem
Exuit, ùt Marti eſt conſociata Venus.
Inter vina natans, nimiumque è Rege Maritus,
Servus amans, Princeps deſijt eſſe potens.
Proditur: opprimitur: ſeque obliviſcitur amens;
Factus ab indomito ſtulta Leone pecus.

Per

Per conjuratas cadit ebria victima dextras:
Victima permiſto ſanguinolenta mero.
Miraris? Dux ille ferox, quòd ùt Hannibal excors;
Quòd veluti Sampſon calvus, in arma ruat?
Quisque ſuam nutrit vitiata mente Dalillam;
Quisque Domi Capuam, fœmina factus, habet.

OSMANES TURCARUM IMPERATOR

Primaria Militum Capita obtruncare deliberans
A militibus ſtrangulatur

EPIGAMMA XIV.

SArmatico bello infelix, & Marte ſiniſtro,
Verterat in ſocios ſe Ducis ira Duces.
Chriſtiadum palmas, horum ſcelus imputat armis:
Corrigere hinc cladis vulnera, clade parat.
Enſe cadant; quorum non Sarmata concidit enſe:
Sint hoſtes, per quos non jacet Hoſtis, ait.
Ergò hoſtes erimus, Procerum manus increpat omnis.
Nos tua membra negas? deſinis eſſe caput.
Barbara funereo vox eſt mulctanda capiſtro.
Quæ male protuleras, impia juſſa feres.
Nulla mora: Oſmanes Turcarum é Cæſare; Servos,
Carnifices meruit primus habere, ſuos.
Tranſijt exinde in morem, vim ferre Tyrannis:
Sola hac Barbaries impietate, pia eſt.

CAR-

CAROLUS REX NAVARRÆ

Ob aſperrima ſuſcitata bella Malus nuncupatus, miro mortis genere infeliciter obit.

EPIGRAMMA XV.

LYmpha ardente lavant ægrum dum lintea Regem;
Suſcipit admoto lumine lympha focum.
Rex perit uſtus aquis: datur inſipientia culpæ;
Sed ſapiens Mundo judice pœna fuit.
Belli ſcintillas, Regnorum incendia fecit:
Huic paret extremum ſola favilla Rogum

VANLERIJ ULTIMI SINENSIUM IMPERATORIS

Tragicus unà cum Regia Familia exitus.

EPIGRAMMA XVI.

SInenſem penetrat [1] Latronum Exercitus Aulam:
Et fremit immenſa ſparſus in Æde furor.
Neſcius, umbrifero Rex otia captat in Horto,
Inter Delicias Regna perire ſuas.
Nuntius attonitas volat improviſus ad aures,
Tempus obeſſe moræ, nec ſupereſſe fugæ.
Heu miſero! Vetitum fugere eſt, fatale morari.
Elige Rex; properâ, ne moriare, mori.
Haud mora:Rex,Uxor,Nati, Proceresq; ſupremum
Funeris illuſtrant nobilitate diem.
Arboribus pendens laqueorum fulgurat ordo:
Gutturis in laqueum, Faſcia frontis abit.

1. *Initio tartaricæ irruptionis lycontius Regiam diripit.*

Flebilis

Flebilis heu ſpecies! miſeræ ſpectacula ſcenæ!
Priſca quot in plantis Regia Planta perit!
Plantæ infelices! totos Mors collige fructus;
Nullaque non Arbor facta Cupreſſus erit.

CHRISTINA

Svecorum, & Vandalorum Regina Guſtavi Adulphi Filia Romam ſe recipit, Regnis pro Chriſto abdicatis.

EPIGRAMMA. XVII.

Filia Guſtavi Regina pijſſima Magni,
Mille coronatos clarior inter Avos:
Cum Patre Te confer: Diademate crevit Adulphus;
Chriſtinæ viſum eſt, Se Diadema minus.
Martius ille Heros; hæc Religionis Amazon,
Per patrias lauros grandius egit iter.
Romam Guſtavus Svecam facturus adibat;
Romana eſt aditu Svecia facta tuo.

CAROLUS. V.

Philippo. II. Hiſpaniarum Regna cedens Seculo renuntiat

EPIGRAMMA. XVIII.

Carolus Hiſpani defeſſus pondere Mundi,
Geſtijt, Imperij cum poſuiſſet onus.
Gaudebat, geminum Nato quòd ceſſerat Orbem:
Quòd modò de tanto Cæſare, nullus erat.

Nullus

Nullus erat? Nato major poſt Regna receſſit:
Magnus hic acceptis; Maximus Ille datis.

IDEM CAROLUS V. IMPERATOR
Horologium in annulo geſtat.

EPIGRAMMA. XIX.

LEgibus adſtrictas complectitur Annulus horas;
Et rotat incluſum parvula gemma diem.
Quàm bene! poſtquam omnis Tibi Carole paruit Orbis;
Servire Imperijs Tempora coge tuis.

DE EODEM HOROLOGIO,
Quod aurea pungens cuſpide horas indicabat.

EPIGRAMMA. XX.

CArole dilapſam quoties notat annulus horam,
Cur ferit arguta cuſpide gemma manum?
Jure tot enumeras, deperdita tempora, plagas:
Lędi jactura non graviore potes.
Triſtior & toto neque Nuntius advenit Orbe;
Quam, momenta monet qui pretioſa mori.

AD ERASMUM STARENBERGIUM
Bellicoſum adoleſcentem, Guidobaldi, Copiarum Cæſaris ſummi in Pedemontio Præfecti ex Fratre Nepotem.

EPIGRAMMA XXI.

QUi Patrui primis felix imitator ab annis,
Paſſibus Heroum pulcher Eraſme venis;

Quæ Tibi GUIDO notis aperit monimenta cruentis;
Explicat & membris viva trophæa ſuis,
Perlege: dextro hæſit quæ fixa Sagitta lacerto,
Geſtorum ante Budæ Mœnia teſtis erit.
Nechelium obſtupuit, quos & Græca Alba labores,
Plagifer in toto Vertice narrat honor.
Salanchemenij fuerit pars quanta Triumphi;
Pectus hians, amplo vulneris ore refert.
Bracchia, crura, latus, decorans numeroſa cicatrix,
Signa triumphatæ murice tincta necis,
Dravo, Iſtro memorant, & ſpectatore Tibiſco
Tot palmis nullas illa tuliſſe moras.
Hiſtoria hæc vivens, hæc Commentaria belli,
Sanguineâ pateant luce legenda diu:
Græca nec edoceat, nec Te Romana vetuſtas:
Cui ſtudeas, Unus ſit Tibi, Guido liber.

LUDOVICUS BORBONIUS PRINCEPS CONDÆUS

Rheni in tranſitu pugnans, ſiniſtra manu ſauciatur.

EPIGRAMMA. XXII.

BOrbonia in batavas dum pugnat dextera turmas;
Omnis in hanc Dextram, Dextra inimica ruit.
Cur Lævam inde ferit? Ferienti ignoſcitur error.
Quis lævam tanto norit in Hoſte manum?
Fatales tibi Belga manus diſcernere fruſtra eſt:
Utraque Condæo eſt dextra, ſiniſtra tibi.

SERENISS. LVDOVICÆ A SABAVDIA PHILIPPI V. REGIÆ SPONSÆ

Taurino in Hiſpaniam proficiſcenti, poſtquam Ludouicus Dux Burgundiæ Regis Philippi Frater Adelaidem Ludouicæ Sororem, Vxorem duxerat.

EPIGRAMMA XXIII.

ATtulit Hiſpanam * Lodoix, Lodoica ſalutem: * *In ;xiv.*
 Cumque Sorore Soror; cumque Nepote Nepos.
Utrinque æternum firmant Connubia Regnum.
 Prodigio florent æmula Regna pari.
Suffecere tribus quondam tria Regna Deabus;
 Terraque nunc uno vix capit Orbe duas.
Mundum, & tergemino diviſit Fabula Fratri:
 Iam prope, quòd gemino pareat, Hiſtoria eſt.

AD EAMDEM REGALEM NVPTAM

Habendæ poteſtatis amplitudo geograficè delineata.

EPIGRAMMA XXIV.

IMperium, Regina, Tuum Sol æſtimet unus;
 Neſcius Hiſpanis occubuiſſe Plagis.
Pars Veteris tibi magna, Novi pars Maxima Mundi
 Siſtitur: & Dominam noſcit uterque Polus.
Quas ego dum gentes Tabulis percurro; verendum eſt,
 Ne fugiant oculos integra Regna meos.
Dat quinquagenos tibi ſola Hiſpania portus:
 Sceptra per Europam bis duodena regis.
Torrida Zona, utroſque procul Tibi ſubijcit Indos;
 Eoo poſitos, Occiduoque Mari.

Una Tibi gradibus procurrit America centum:
Per tria leucarum millia, tota Tua eſt.
Africa barbaricas ad Atlantem porrigit Arces:
Undaque felices fert Canarina Sinus.
Sparſa tot, in Veterem coeant ſi ſingula Mundum;
Noſter hic omnino Mundus, Iberus erit:
Hæc citò Cuncta reges Lodoica; nec omnia diſces:
Plùs erit ingenio, quàm ditione capi.
Vive tamen, donec pateat Tibi Subditus Orbis:
Aut Tibi ſint Anni; quot Tibi ſunt Populi.

AD NAVIM
Reginam ad Hiſpaniæ littora deferentem:
EPIGRAMMA XXV.

NAvis, Regina Heſperij cui creditur Orbis;
Te Dominam Tethys ſentiat eſſe Maris.
Cum deinde incolumem Hiſpanas advexeris Oras;
Dent Tibi, deſpectis fluctibus, Aſtra locum.
Haud aliter ſperes Dominæ cognoſcere Regnum;
Quam toto in gyrum velificata Polo.

VICTORI AMEDEO II.
Se Vrbi ab obſidione liberatæ poſt Victoriam reſtituenti.
EPIGRAMMA XXVI.

VEnit, io; reducem complectere Patria Regem:
Quo Tibi libertas reddita; venit, io.
Victor adeſt; uno reparat qui Cuncta Triumpho:
Qui ſcidit Italiæ vincula, Victor adeſt.
Hinc ne VICTOR abi poſthàc; aut publica cauſa
Cùm repetet; ſemper ſic rediturus, abi.

AVG.

AUGUSTISSIMI IMP. IOSEPHI AUSTRIACI
Inexpectata Mors hoc An. MD.CCXI.

EPIGRAMMA XXVII.

CUR immaturo quereris Germania fato?
Dum Solio AUGUSTUM Mors properata rapit?
Ne numeres annos, ſed Bella, Trophæa, Coronas;
Imperio poterat vix ſeniore frui.
Imò etiam expendas annos, momentaque, & horas:
Ceſſiſſe Hunc Terris dixeris Aſtra diu.
[1] Schaldis, [2] Taurinũ, [3] Hocſtetũ, [4] Aldenarda, [5] Bavacũ,
Quæ videre uno Singula Sole, canant.
Horum duntaxat repetatur fama dierum:
Plurima ſunt quanti Secula; Quinque dies.

Victoriæ relatæ
1. *ad Scb. fluv.*
2. *Taurini.*
3. *Hocſteti Joſ. Rom. Rege*
4. *Aldenardæ*
5. *Bavaci. Bavai.*

CAROLUS VI. AUSTRIACUS

In Germaniam ex Hiſpania proficiſcens eligitur Imperator.

EPIGRAMMA XXVIII.

HEſperij Alcides jamdudum CAROLE Mundi,
Atlantem Arctoi Te petit Urſa Poli.
Annue: hyperboreis, Regem Te, reddito Terris;
Cæſar ad Occiduas mox rediturus aquas.
Audior: Hinc voti compos ſecat Æquora Navis:
Illinc Imperij Nuntia fama ruit.
Obvia Cæſareos offert Germania Faſces:
Et Dominas Aquilas; & Diadema biceps.
Quis Tibi non juges optarit CAROLE curſus?
Occurrunt mediâ ſi Tibi Regna viâ.

EJUSDEM IN ITALIAM ADVENTUS EPIGRAMMA XXIX.

APpulit Hiſpano ſperata è littore Claſſis;
Quæ fortunam Orbis, Cæſare plena, vehit.
Deſcendiſſe ſuam vidit quem Janus ad Oram;
Neptuno Auſtriacum reſtituente Jovem.
Hunc Patris illuſtrem ſtupuit, Fratriſque Triumphis:
Omnis cui pariter vita, Triumphus erat.
Cui nihil á Superis, Populorum in vota, negatum;
Si dent, qui pater eſt Omnibus, eſſe Patrem.
Aſt, melioris ego ſator (inquit) & agnitor ævi,
Jam nota Heroum fertilitate fruor.
Omnis in Hunc unum virtus ùt fluxit Avorum;
In ſe collectos ſic dabit unus Avos.
Augurium placet: adde tuam nunc Jane ſenectam.
Nulla eſt, quæ vita eſt publica, vita ſatis.

EJUSDEM CUM SABAUDIÆ DUCE

Occurſus, & collocutio.

EPIGRAMMA XXX.

QUI fuit ille dies, quo poſt diſcrimina centum,
Junxit laurigeros mutua Fama Duces!
Alter in Alterius delectat lumina fronte,
Admiratori Magnus Uterque ſuo:
VICTOR in Auſtriaco, ſpem totam Martis iberi;
Martem Italûm, Alpino in Principe, CÆSAR amat.
Te Solium Heſperiæ ſtetit Hectore, crevit Achille;
Te viget Imperium Cæſare; VICTOR ait

CÆ-

CÆSAR ad hæc: Amedee, tuo plus debuit enſi,
Quam mille Agminibus, Pardus, & Urſa ſuis:
Regna mihi Italidum, ſervatâ ſubijcis * Urbe: *Taurino.
Teque unum, cunctos ſuſtinuiſſe fuit.
Vivant, ſat celebres ſe Laudatoribus Ambo:
Summus Uterque ſuæ Poſteritatis honor.
Vivant: & ſtabili concordes fœdere regnent:
Latiùs hic Terrà: longiùs ille Mari.

EJUSDEM IMPERATORIS
Receptio Mediolani.

EPIGRAMMA XXXI.

REgina Inſubrum, dominæ Soror inclyta Romæ;
Clara viris, Laribus ſplendida, dives agris.
Maxima cum fueris; Te nunc ingentior Ipsâ,
Collectum, quidquid Mundus adorat, habes.
Affuit Italicis Procerum flos omnis ab Aulis;
Contulit, & Faſces huc quoque Roma ſuos.
Hìc colere Arctoos properat Germanus honores;
Inveni hìc patrias Flander, Iberus, opes.
Cuncta ſonant plauſu: reſplendent omnia luxu:
Quæ, dum Cæſar ades, ſplendidiora facis.
Pompa, decor, Cultus, Spectacula, Dona, Theatro
Haud alibi ſperent nobiliore capi.
CAROLE, centenas latè excipiende per Urbes,
Omnia dent Omnes; quid dedit Una minus?

AD PRINC. EMMAN. A SAB. PR. EUGENIJ
Ex Fratre Nepotem, Ob dicatum de Quadruplici Monarchia compendium.

EPI-

EPIGRAMMA XXXII.

DUM Tibi Terrarũ Dominos, Regumque triumphos
Siſtimus; & quidquid grandius Orbis habet;
Munus adhuc ſuperas: Qui Principis omnia Magni
Vividiora refers Ore legenda tuo.
Mille tuo in Vultu Reges ſpectantur aviti:
Mille Tibi Heroum ſanguine, Corda calent.
Utque opera accedant animis; ne priſca requiras
Exempla: una Ætas ſufficit, una Domus.
Longa tamen Faſtis Ætas ſit clara Sabaudis:
Unum, cui ſtudeant Secla, volumen erit.
Perlegito EUGENIUM: mentéque imitare, manumque:
Ire erit ante omnes; Hunc potuiſſe ſequi.

AD EUMDEM
Ob dicatum Geographiæ libellum.

EPIGRAMMA XXXIII.

REgum, Regnorumque vices, diſcrimina, fata
Obtulimus, menti ſubijcienda Tuæ.
Orbis es immenſi, Juvenis modo cognitor; olim
Totus ubique, Tui cognitor, Orbis erit.

SACRA.

BALTHASARE ASSYRIORUM REGE, CONVIVIUM
Celebrante apparent Digiti ſcribentes in pariete.

EPIGRAMMA I.

REgia barbarico ſplendent Convivia luxu;
Et Proceres circum, Fœmineique greges.
Rex Calices temerat ſacros, potuque profano
Polluit: impuro combibit ore nefas,

Dum

Dum bibit, & peccat; dum ridet Numinis iram;
En! Digitus Muro verba tremenda notans!
Palpitat attonitus ſubita formidine Princeps;
Judicium exitij ceu legat ille ſui.
Heù! Digiti ſolâ terror ſi tantus ab umbra;
Mox quid aget, veniens fulmine Tota manus?

SAMPSONI DORMIENTI

Dalila Comam tondet.

EPIGRAMMA II.

CRedule quid Sampſon, blanda ſub forcipe dormis?
Frater erit taciti funeris iſte ſopor.
Prodit amando nocens Mulier: ſi tempora nudat;
Mole ſub ignava vis generoſa ruit.
Agminis inſtar eras, intonſis Crinibus? ergò
Mille ſimul Crines, brachia mille ſecat.
Parcite, captivum hoſtiles obſtringere funes:
Sampſon, nondum aderant vincula, captus erat.

RAZIAS MACHABÆUS

Ne in hoſtium manus veniat, proſciſſo utero, & effoſſis propria manu viſceribus, ſibi vitam eripit.

EPIGRAMMA III.

STrenuus Iſacides, capta male tutus in Urbe,
Magnanimâ, eludit vincla parata, fugâ.
Præcipitem ſpernit pro gentis honore ruinam;
Saltum de Turris vertice, ad ima rapit.
Sed fracta cervice, putans ignobile vulnus;
Fortem animam à tergo, dixit, abire pudet.

Ergò

Ergò uteri latò fodiens penetralia ferro,
Extrahit impavidâ viſcera vulſa manu.
Nec ſatis: ad ſocios effundens, ferte ſodales
Hæc libertatis viva trophæa meæ:
Sic ait; & gaudens generoſus Spiritus exit;
Nobiliore manu, liberiore via.

S. PETRUS DE ALÇANTARA

Ad Euchariſticum Chriſti Domini Corpus per aerem ſuſpenſus procul volatu fertur.

EPIGRAMMA IV.

DUM procul à Sacris Epulis jejunus, & ardens
Eſurit; & languet, Martyr amoris, amans;
Si rigidum ducit virtus magnetica ferrum;
Ferrea cur, Numen, non mea corda trahis?
Dixit, & impatiens miras amor addidit alas:
Rapturuſque Deum, raptus amore, volat.
Quis non, Chriſte, tuas miretur, ametque rapinas?
Non rapis, ut rapias; ut rapiare, rapis.

S. ZACHARIAS HIEROSOLYMÆ ANTISTES

Heraclio gementi ſub Sacratiſs. Crucis pondere, ſuadet ut pretioſum amictum deponat.

EPIGRAMMA V.

CÆſar, ne mirere, gemis quòd viribus impar,
Ægra quòd inſolitus corpora torpor habet.
Aurum obſtat,gemmæ impediunt,vanum exue luxum:
Indue pauperiem; Crux leve pondus erit.
Chriſtus inops faſtidit opes: cui demis honorem;
Uno ſat dives ni videare Deo.

I mo-

I modò : tolle Crucem, poſito ditiſſimus oſtro:
Omne Orbis pretium, ſic ſpoliatus, habes.

S. FRANCISCUS XAVERIUS

Saniem exugens Vlceroſum ſanat.

EPIGRAMMA VI.

LAnguide, cui miſeram corrodunt ulcerà vitam,
Mirifici inſuetam cerne Medentis opem.
Tu quoque, cui roſeo peſtis dulceſcit in ore,
Noſce ſalutiferam, Vir generoſe, luem.
Quantùm ægroMedicus,Medico quám profuit Æger!
Sanior à morbo hic; Sanctior ille redit.

IDEM S. XAVERIUS

Orans ſub dio, à Dæmone fuſtibus contuſus ſolo ſternitur.

EPIGRAMMA VII.

SYdereas vincit precibus dum Zavier Arces;
Vinci, Plutonis ſe quoque Regna, dolent.
Infremit, & ſanctum conſpirat Avernus in Hoſtem:
Et Cœli Heroem ſternere tentat humi.
Sternitur: at propriùs ſtygio ſuper imminet Hoſti;
Et ſe ſe toto, Tartara tota premit.
Ingemuit, Franciſce, tuis ſub caſibus Orcus.
Non gemeret? nunquam tam grave ſenſit onus

S. GRE-

S. GREGORIUS THAUMATURGUS

Monte translato Populum ad Fidem convertit.

EPIGRAMMA VIII.

DAmnet ut infidum mendacia dogmata vulgus,
Eloquio vinci, prodigioque petit.
Hinc ſubitas Scopulis Gregorius addidit alas:
Ceſſit portentis, rupe volante, fides.
Cordis durities quæ iam Tibi, Dive, reſiſtat?
Sit lapis; hunc toto frangere Monte potes.

S. DYONISIUS AREOPAGITA

Abſciſſum caput mortuis manibus defert.

EPIGRAMMA IX.

SÆvus adorandum buſto caput abſtulit enſis:
Perfluit effuſus colla reſecta cruor.
Indoluit tanto viduatum vertice Corpus;
Amiſſoſque oculos, ut lacrymetur, amat.
Lumina dum quærit, quibus infortunia ploret;
Cervicem gremio reſtituere manus.
Fleviſſent oculi; gemitum ſacra Ora dediſſent;
Utraque prodigio ſed ſtupuere novo.
Ecce ferens, graditur Præſul, ſociale Cadaver!
Ipſe ſui ductor funeris, Ipſe comes.
Si monſtra enumeras, tria ſunt: redde oſcula plantis,
Admirare manus, & venerare Caput.
Hac de morte, ſibi palmam arroget ira Tyranni?
Mortem cum Spolijs cernat abire ſuis.

PSIT-

PSITTACHVS ANGELICA SALVTATIONE PRONVNCIATA.

Incolumis dimittitur ab Accipitre.

EPIGRAMMA X.

SUeverat angelicam cantu recitare ſalutem
Humano doctus Pſittachus ore loqui.
Garrula ſed volucris, Cœlo dum fidit aperto;
Facta eſt Accipitris præda, futura cibus.
Vix tamen hæc ſolitam repetit de more loquelam;
Prædo repulſus abit; libera præda redit.
Accipitri ereptum ſtupeas, virtute Mariæ?
De Stygij Accipitris plus erit ungue rapi.

ELEAZAR MACHABÆUS

Elephanto, quo Rex Antiochus ferebatur, confoſſo oppreſſus occubuit.

EPIGRAMMA XI.

STrenuus obſtantes Eleazar fertur in Hoſtes:
Et reſerat latam denſa per arma viam.
Turri geram petit enſe Feram; latera omnia luſtrat;
Sed via mactandæ non patet ulla Feræ.
Dum ferro obtectam ferro undique tentat; ad ictus
Reſpondere dolet Vulnera nulla ſuos.
Quid gerat? ima ſubit; mucronem in viſcera mergit:
Cumque ruente ruens, Dux Elephante, jacet.
Pondere dat Tumulum: ſuſtollit Mole Trophæum:
In Mauſoleum verſa ruina fuit.

S. FRANCISCO XAVERIO

Crucifixi effigiem Mare abripit, Cancer reſtituit.

EPIGRAMMA XII.

XAvier ereptum cum fleret ab Æquore Numen;
Numen theſaurum pectoris, inde Maris;
Hæſerat infenſam ſe projecturus in undam;
Cum ſua per medias Vita nataret aquas.
Mox ubi rapta videt referentem pignora Cancrum;
Cor viſus cordi reddere, Seque Sibi;
Amiſiſſe juvat, quod ſic Freta redditis, inquit:
Hoc mihi prodigij fœnore, Furta placent.
Ipſa procella juvat: laudanda audacia fluctus.
Mitior haud poteras unda, probare Deum.

S. THOMAS AQVINAS

Arrepto titione mulierem fugat.

EPIGRAMMA XIII.

ARtibus aggreditur Juvenem rea Fœmina blandis,
Fœmina mentitis illecebroſa dolis.
Heros angelicus ſceleratos odit amores:
Luxuria hinc pugnat; fortiùs inde pudor.
Fumigero monſtrum Satanæ titione repellit.
Hydra hæc, hoc telo, hoc igne domanda fuit.
An fuit unius tanta hæc victoria Monſtri?
Tiſiphone in Sola, totus Avernus erat.

EIUSDEM

De rea Muliere Triumphantis, Angelorum miniſterio lumbi perſtringuntur.

EPI-

EPIGRAMMA XVI.

VIrgineâ illuſtrem palmâ miratur Olympus;
Victoremque Erebi Cœlica turba canit.
Præmia digna parans, parto Deus ipſe Triumpho;
Virginitas, merces virginitatis erit:
Dixit; & arcano pia roborat ilia vinclo;
Improbe amor, jaculis non penetranda tuis.
Oh decus angelicum! Vitij dulcedine vinci
Qui negat, eſt Virgo: qui nequit, Angelus eſt.

IDEM S. THOMAS.

Solem in fronte præfert depictum.

EPIGRAMMA XV.

CUm ſatis ipſe ſuo ſit lumine clarus Aquinas;
Cur capiti ingeminat Solis imago jubar?
Anne, quòd erroris Sapientia neſciat umbram?
Quòd Solem agnoſcant anne Lycæa ſuum?
Utraque cauſa placet. Sole indiget Orbis utroque:
Ille oculis affert, mentibus iſte diem.
Sol deſit; cæcus jacet Orbis: deſit Aquinas;
Abſque fide Eccleſia eſt; aut ſine luce Fides.

S. IANUARIJ

Concretus Sanguis in ampulla ſervatus, conſpecto eiuſdem Martyris capite liquidus efferveſcit

EPIGRAMMA XVI.

COncreto pretioſa rubent cryſtalla cruore;
Optatum donec ſenſerit Ara Caput:
Mox ubi nota micat, tetigitque Altaria Cervix;
Lætitià effervet, geſtit amore cruor.
Hinc Caput, hinc Sanguis, tacita ſe voce ſalutant:
Nutibus ut credas, prodigijsque loqui.
Religio eſt Populis, Signum ſolemne quotannis;
Suadet ubi veram, vitaque, morsque fidem.
Rideat Hæreticus: ſpectata negare; nec iſtis
Cedere portentis; hæc mage monſtra puto.

S. SIMEON STILITA.

Quadraginta ſupra columnam pœnitentiæ annos inſumit.

EPIGRAMMA. XVII.

INcola marmoreæ per luſtra octona columnæ,
Ut potes in tantis conſenuiſſe malis?
Te nive, Te flammis, bruma obruit, æſtus adurit,
Tu Scopulus pluvijs, ludibriumque Notis.
Pœna jacere, horror conſidere, ſtare periclum;
Supplicium locus eſt; & labor ipſa quies.
Omnibus exutus, divulſus & exul ab Orbe es:
Eſt Domus, & Mundus Sola columna tuus.
Spectatore Deo, Cœlique oh digna Theatro,
Pyramis aerio conſpicienda Viro!
Una hæc humano ſit meta Columna labori:
Vicere Herculeas Otia ſancta vias.

S. Syl-

S. SYLVIUS ABBAS

Baculo Maris undas coercet, ipſius Cellulam demerſuras.

EPIGRAMMA XVIII.

IUncta procelloſo dum ſpumant Æquora fluctu;
Jamque ſuperfuſis Cella dehiſcit aquis.
Obſtitit Antiſtes; Virgamque in littore figens,
Eſto, ait, irato meta, & habena Freto.
Oh pietas, oh magna fides! Cui juſſa ferenti
Paruit ante Deus, quám Maris unda Deo.

E BRACCHIO S. NICOLAI PROFLUENS CRUOR

Italiæ ſemper funeſta auguratus; noviſſimè infeſtum eidem bellum præſagijt.

EPIGRAMMA XIX.

Sponte Tolentinum quoties fleviſſe Lacertum;
Sparſaque ſanguineis fletibus oſſa vides;
Impendêre graves Latio prædiſce dolores:
Expectanda Tibi vulnera, Roma time.
Sanguinolenta pluit, præviſo Marte Cicatrix:
Ingemit & plagis plaga aliena tuis.
Senſimus heu nimiùm, nondumque aſperrima ceſſant
Quæ mala portendit præſcius ille cruor.
Parcite belligeræ Romam vexare Cohortes:
Jamdudum & Superos, ſauciat iſte furor.

S. IGNATIUS DE LOYOLA

Ad Aram Beatiſſimæ Virginis gladium appendit .

EPIGRAMMA XX.

FElix ! qui miſeri vana hæc Inſignia Martis
Exuo , Militiæ nobilioris amans !
Altera (Diva jube) ſequar arma , atq; altera bella :
Depoſitoque novus Milite , Miles ero .
Miles eris (tacito auditur ſub pectore Virgo)
Hìc Dux , hìc Heros incipis eſſe meus .
Indue , ſuſpenſo , per Me nova robora ferro :
Tu gladium donas ; ſpondeo Virgo manum .

QUOTIES S. FRANCISCUS XAVERIUS

Gravius aliquid apud Indos pateretur , toties Xaveriano in Oppido Crucifixi effigies Sanguine diffluebat .

EPIGRAMMA. XXI.

QVæ pateris Franciſce procul , præſentia ſentit ;
Atque tuas pœnas,vult Deus eſſe ſuas .
Sanguine ibi manas ; hìc manat Sanguine Chriſtus :
Bina , remota , ferit Corpora Vulnus idem .
Vulnera Te Domini , Dominum tua Vulnera tangunt :
Quæque dolor nequijt , congeminavit amor .
Fallor : in alterius cum Corpore vivat uterque ;
Quæ duplex viſa eſt , unica pœna fuit .

S.

S. AMBROSIUS

Theodoſio Imperatori poſt Theſſalonicæ patratam cædem Templum adeunti, Sacratas valvas occludit.

EPIGRAMMA XXII.

CRimine Theſſalico, populari cæde cruentus,
Audet Sacratas Cæſar adire Fores.
Siſte, ait, Antiſtes Rege imperioſior ipſo:
Hanc priùs agnoſcas Numinis eſſe Domum.
Judexne ingrederis? demittam Colla Tyranno:
An Reus? offenſi Judicis ora time.
Præſulis ad voces, cecidit conterritus Heros;
Et lacrymis, pateant ut ſibi Templa, rogat.
Templa patent: flentemque jubet ſperare Sacerdos:
De ſæva ùt factum tigride, vidit ovem.
Clarior acceſſit ſubmiſſo gloria Regi:
Sic, viſum famulo dignius Orbe caput.
Diſcito, qui regnas: creſcit pietate poteſtas.
Cum Petro Imperium divide; maius habes.

S. LEO MAGNUS

Attillæ ad evertendam Romam Caſtra moventi occurrens, illum à crudeli propoſito avertit.

EPIGRAMMA XXIII.

ITalidum terror, Cœlique immane flagellum
Attila, per longas bellua paſta neces,
Sanguineum per iter, populorum funera, luctus,
Movit in Auſonias Signa cruenta plagas.

Primaque pannonicis Aquileia victima flammis,
Prælucet veſtro, Regna latina, rogo.
Actum de Petri Solio, de Principe Româ;
Omnia ni Magno tuta Leone forent.
Urbe abit; armatos irrumpit inermis in Hoſtes.
Quem metuat? Deus in pectore, in ore Deus.
Fræna furentis Equi arripiens, ſeſſore Tyranno;
Increpat ore, oculis; eloquioque tonat.
Territa barbaries hæſit: vis victa receſſit.
Sic unus, totum ſervat Ovile, Leo.

EUCHARISTICUM CRISTI DOMINI CORPUS

Prodigioſè in Aere pendens, ſe conſpiciendum Populo præbet mox repoſitum in Templo, Taurini Anno 1453.

EPIGRAMMA XXIV.

SAcrilega incluſum traheret cum ſarcina Numen;
Sponte, improviſum fudit aperta Deum.
Splendet triticeo, ceu Sol, ſpectabilis orbe;
Et Populo gaudet vota ferente coli.
Anceps Ille diú [ſi fas dixiſſe] pependit:
Reddere ſe Terris debeat, anne Polo?
Hinc dum noſtra vocant, inde alta Palatia Cœli;
Hinc Populus ſupplex; Cœlicus inde Parens;
Tota mihi, dixit, pateat licet Aula Parentis;
Cœlum occlude fores: Urbis amore trahor.

B. ANGELUS CUNEENSIUM PATRONUS

Obſeßa Vrbe, ac conſtantiſſimè reſiſtente, conſpicuus è Muro illuxiſſe creditur. An. 1691.

EPIGRAMMA XXV.

Dum

DUm quatit obſeſſam Mars undique ferreus Arcem;
Caſtraque barbarico Mœnia more premunt;
ANGELUS, invictæ qui præſidet * integer Urbi,
Viſus opem, ſummo ex Aggere, ferre Suis.
Hinc, quoties inſtat renovatis viribus Hoſtis;
Immani toties clade repulſus abit.
En Clypeus Patriæ! En Cives, cui creditis Urbem
Hic Muri cuſtos, ſtator in Arce, fuit.
Fallimur. An Muro Defenſor præfuit uni?
Quotquot habent Cives pectora, Murus erant.

* *incorruptus*

D. GAUDENTIO PATRIA EXPULSO

Vt lectum inſternat, Rupes molleſcit.

EPIGRAMMA XXVI.

DUm fugit, ingrata Gaudentius exul ab Urbe,
Carpere cui Vlugi crimina, crimen erat;
Dediſcit patrium rupes miſerata rigorem:
Et fidei ſenſus, & pietatis habet.
Illicò Sacrato molleſcunt cerea tactu
Saxa, fatigato facta Cubile Viro.
Macte Heros Fidei: quid aget vis inde laborum?
Vel tua ſi Mundo prodigioſa quies.

EJUSDEM JACENTIS FIGURA

In Monte impreſſa, ſtabili miraculo perſeverat.

EPIGRAMMA XXVII.

QVæ modò complexa eſt Sacros nive mollior artus,
Petra, repentinum compoſitura Thorum;
Naturam recipit magis obdurata priorem:
Servet ut impreſſum mira Figura Typum.

Secu-

Secula fluxerunt; manſit reverentia ſaxis:
Et colitur viduo poſthuma forma loco.
His ego defoſſum quid mirer ab * Alpibus aurum?
Theſaurum Rupes non dedit ulla parem.
Dive, alibi pietas pretioſas extruat Arcas:
Aurifer hìc Membris Mons fuit Arca tuis.

** Alpes circa Eporediam auri feraces.*

IDEM SANCTUS
Duriam fluvium ſicco pede tranſmittit.
EPIGRAMMA XXVIII.

EST ibi facta Silex, fluviali mollior undâ:
Hic Silice Alpinâ firmior nuda riget.
Sunt portenta, moræ; ſunt, & Miracula curſus.
Naturam calcas: atque elementa domas.
Tendit amor ſurſum; gravitas cur ulla deorſum?
Portat amor flammas; cur vereatur aquas?

IDEM INERMI NAVIGIO COMISSUS
Ventis ſponte ferentibus, rectà in Portum ducitur.
EPIGRAMMA XXIX.

PRæſule onuſta Ratis, nullo Duce, Remige nullo,
Traditur arbitrio, Ludibrioque Maris.
Sed non exortâ, vel non audente procella;
Æquora ſenſerunt, & reverentur onus.
Sponte peragrato tandem tenet Æquore Portum:
Cui Deus una quies; vel Mare, Portus erat.
Puppe gerant aliæ, Divûm Simulacra Carinæ:
Hanc tutam faciunt Numina viva Ratem.

EODEM, CUM D. AMBROSIO COLLOQVENTE
Hortus media hyeme repente floreſcit.

EPI-

EPIGRAMMA XXIX.

ASpicis ùt verno ſe Bruma coronat honore!
Purpurat algentes ùt Roſa multa nives!
Dum frueris dulci alloquio cum Præſule Præſul;
Cor, puto, delicias ſparſit in Arva ſuas.
Aut Tibi ſi Tellus voluit formoſa videri;
Conde tuos flores; ſic neque Terra places.

VARIA

Georgius Clarentiæ Dux in Britannia Morte damnatus in Vini Cado Mortem ſibi deligit.

EPIGRAMMA I.

REgni lege Reo, varij datur optio lethi:
Non placuit, viru, fune, nec enſe mori.
Sed placuit fervente Cadum ſpumare phalerno:
Inque ſuperfuſo labra natare mero.
Extremùm ſitiens, dulcem bibit ebrius undam;
Donec potantem ſorbuit unda Virum.
Stulte, putas liquidum ridendo haurire Sepulcrum?
Dum bona vina bibis; Te mala vina bibunt.

Pictor, Equi ſpumam ſæpius exprimere conatus, impacto in equi fauces penicillo, ſpumas affabrè depictas vidit.

EPIGRAMMA. II.

ALipedem effuſis animarat Pictor habenis:
Forma, animi, curſus, vita coloris erant.
Defuerant ſpumæ: tunc ſpes deluſa colorumeſt:
Non fluit ex uda ſpumea lympha manu.
Increpat ergo manum; totique iraſcitur arti:
Donec, quod ratio non facit, ira facit.
Namque inſperato projectæ cuſpidis ictu,
Ad votum humentes emicuere notæ.
Parcite virtutes: pinxit ſapientiùs error;
Doctior ingenio caſus, & arte fuit.

In idem Argumentum.

EPIGRAMMA III.

BUcephalum Pictor mira perfecerat arte;
Poſſet Alexandro qui placuiſſe Duci.
Si credas oculo, dubites hinnire furentem:
Et rapere è Tabula Martis ad arma fugam.
Spumea anhelanti mox fingere nititur ora:
Nec tamen optatum prodijt artis opus.
Exprimit, & delet: manus eſt contraria menti:
Nil, quod conata eſt pingere, ſpuma fuit.
Quid tandem? in fauces Calamum projecit equinas.
Sic rabies, ſpumas pingere viſa ſuas.

Cibos, quos Felis abdiderat, Mus devorat.

EPIGRAMMA IV.

MUs audax, arcæ latebras penetrarat olentes
Rapta ubi ſervabat prandia Felis edax.

Uſus

Uſus ſorte ſua, ſaturato abdomine ſorex,
Hoſte reverſuro paupere, lætus abit.
Quid rides veſane? rapis non fercula, ſervas:
Reſtitues vivam mobilis arca dapem.
Quod minuiſſe putas, Inimico robur adauges:
Hoſtis erit major, maior in hoſte fames.
Mox repetet Felis furtum cum Fure: tuuſque
Alterius ventris victima, venter erit.

De Funambulo.

EPIGRAMMA V.

REſpice Dædaleos Luſoris in Aere ſaltus:
Ludere non illum, ſed volitare putes.
Pennigerum docili libratur Cannabe Corpus:
Ridet & appenſo, pendula Turba, Viro.
Crudeles riſus! ſunt ipſa pericla, voluptas:
Pluſque timent Oculi; plùs timor ipſe placet.
Vane, miſer, filo cui funus pendet ab uno;
Ut morti inſultans, ora jocantis habes!
Ergò parum, vitam dederat Natura, volucrem?
Cur facis ingenio, cur magis arte levem?

Dio Philoſophus impendente interitu Deum fatetur.

EPIGRAMMA. VI.

COrpore qui valido, qui viribus integer olim;
Credideras nullo Numine cuncta regi;

Æger in extremi luctans diſcrimine morbi;
Faſſus es æternum, qui regit Aſtra, Deum.
Ergò alijs claudens, aperit tibi lumina lethum:
Tunc ergò æger eras, cùm Dio ſanus eras.

In Larinum jocoſum & impudicum Epigrammatum Scriptorem lac atramentario infundentem.

EPIGRAMMA. VII.

CUM fluat in niveam mihi littera nigra papyrum;
Lactea cur calamo ſigna Larine notas?
Anne, quòd Uberibus fluit hic muliebribus humor?
Anne, quòd infanti convenit iſte liquor?
Do tibi nunc veniam, dum ſcripta epigrammata vulgas;
Quòd tam fœmineum, tam puerile ſapis.

Canis in ſui imaginem uiſam in ſpeculo latrat.

EPIGRAMMA. VIII.

QUis Canis implacidi tantas furor aſperat iras?
Ut ferus eſſe ſui dilaniator amet?
Se timet, & terret: ſeque ipſe laceſſit, & odit:
Perſequitur morſus morſibus ipſe ſuos.
Has agit in furias, hæc prælia parturit error:
Latrantem, latrans fallit imago, Canem.
Fare homo; quàm ſimiles accendit opinio rixas!
Non tam ſæpe malum, quàm movet umbra mali.

Horo-

Horologij Sphæra aurea In manu Avari.

EPIGRAMMA. IX.

CIrculus horarum dimenſor, & aureus index;
Quid facit ille tuas inter, Avare, manus?
Nunc tibi ſi fulvo pretioſa eſt hora metallo;
Hanc probo avaritiam: Temporis eſto tenax.

Unius temporis honeſta avaritia eſt ſen.

Hercules à Lino Citharœdo alapa percuſſus, Magiſtri caput impacta cithara perfringit.

EPIGRAMMA X.

DUM fruſtra Alcides Lino inſtructore docetur,
Pulſare argutæ fila diſerta lyræ;
Diſcipulo iratus non proficiente Magiſter;
Audet in herculeas verbera ferre genas.
Non tulit hoc Heros: iram vindicta ſecuta eſt:
Et cithara effractum fudit adacta caput.
Ut potuit letho proſternere debile telum?
Herculis in dextra, vel lyra, clava fuit:

De Chirothecis in donum Amico miſſis.

EPIGRMMA XI.

GRandis, an exigui mereantur munera nomen;
Haud ſcio: triſtis hyems, quæ pretioſa facit.

Exiguum dicamne? Manum tibi complet utramque.
Dicam grande? Nihil ſtringis utraque manu.

Infans prodit è Matris vtero Gladio Dexteræ impreſſo.

EPIGRAMMA. XII.

ASpice ùt in membris luſit Natura tenellis!
Lactea ùt impreſſo fulgurat enſe manus!
Quid ſibi de tanto promittant Caſtra Puello?
Quem Mars armigerum nocte, dieque videt?
Armiger eſt natus, vivet, morietur in armis:
Qui neque cùm fuerit nudus, inermis erit.

Heliogabalus convivium exhibet Pſitthacorum linguis inſtructum.

EPIGRAMMA XIII.

IMperat accitos Cæſar diſcumbere Patres:
Laudet ut inſuetas conſcia Roma dapes.
Fercula mille vident linguis inſtructa Volucrum;
Quæ pretio terrent; quæ novitate placent.
Stulte, quìd è ſylvis linguas fruſtrà abripis omnes?
Et fieri mutas undique cogis Aves?
Juverit elingues potiùs feciſſe Quirites:
Stultitiam ut poſſit carpere nemo tuam.

Filius imaginem Genitoris per iocum impiè dilacerat.

EPIGRAMMA XIV.

SAcrilegis abſiſte jocis; reverere Parentem:
Cui ſi culpa fuit; Te genuiſſe, fuit.
Perſequeris patrios cur picta in imagine vultus?
Nullius reus eſt criminis iſte color.
In Te verte manus: Hæc eſt plectenda Parentis
Effigies; vitijs facta ſceleſta tuis.

Ad Principem. N. Belli tempore pingentem.

EPIGRAMMA XV.

DEſine apellæas Princeps animare figuras;
Tempora dum poſcunt ad graviora manum.
Parva coloratis oritur Tibi gloria telis:
Clarior à fuſo ſanguine, Fama venit.
Nec calamos aliena tuos illuſtret imago;
Sed tua ſit factis grandis Imago tuis.

Leo Galli aſpectu terretur.

EPIGRAMMA XVI.

SYlvarum terror, Leo, regnatorque Ferarum,
Ecce fugam, gallo pulſus ab hoſte rapit!
Alcidem domito celebrat quid Fama leone?
Plus Gallina ſuum prædicet alma Virum.
Illi unus, cedunt omnes tibi Galle leones.
Erige jam criſtas: Hercule plura potes.

Aliud.

EPIGRAMMA XVII.

QUadrupedum Rex, marmaricæ populator arenæ;
Terror, & hyrcani gloria ſæva jugi.
Vidit criſtati ſi turgida corpora Galli;
Immemor ille ſuæ nobilitatis, abit.
Miraris? rubræ decepit purpura criſtæ:
Nec ſibi, ſed Gallo regia jura dedit.

Germanus miles, naſi ulcus curaturus ut vino abſtineat admonitus; Medicum reijcit.

EPIGRAMMA XVIII.

ITE procul Medici: Bacchum ſi veſtra repellunt
Pharmaca; plus morbus, quam medicina placet.
Uno pro Cyatho, Naſos ego mille relinquam;
Non ego pro Naſo, pocula mille dabo.
Ergo mihi Medicus melior,ſit Apolline,Bacchus:
Et fiat Caupo, Pharmacopola mihi.
Naribus ægrotis dumque optima vina propino;
Semper pro Naſi labra ſalute bibant.

Honorius Imperator
Gallinam dilectiſſimam, Romæ nomine compellari iubet.

EPIGRAMMA. XIX.

REgis Gallinam, decoratam nomine Romæ
Ridet; & hanc Romam maxima Roma colit.

Hæc

Hæc ſedet in Solio: hanc Orbis Diadema coronat:
Huic parat in gemmis Aulica turba dapes.
Turgida fortunæ graditur ſibi conſcia tantæ;
Una comes Menſæ Cæſaris, una Thori.
Hac fruere ante alias fœcunda Conjuge Cæſar:
Quotidie Romam parturiente novam.
Quin caveas; Româ ne gens naſcatur ab iſta:
Gallorum Populus fiet in Urbe Tibi.

Mercator, qui Rhodani aquam vino immiſtam vendiderat, vinctus in Carcerem Lugduni ducitur.

EPIGRAMMA XXI.

Lictor quò properas? Inſonti deme catenas;
Crimine quo potuit Carceris eſſe reus?
An quia confudit venalia flumina Baccho?
Quòd ſibi lucroſis fluxerit Amnis aquis?
Illi non pœnas, ſed præmia ſolvite Galli:
De Rhodano auriferum fecerat ille Tagum.

Arthemon vitreum ſe eſſe credit.

EPIGRAMMA XXII.

Esſe ſibi Arthemon jurat membra omnia vitrum;
Vitrum oculos, vitrum pectora, crura vitrum.
Vitrea, ſeu properat, ſonitum putat oſſa dediſſe:
Sive ſedet; vitreas ingemuiſſe nates.
An comedat? metuit vitreos effringere dentes:
Anne bibat? vitreis decidet unda labris.

Sic

Sic omnes fugis incurſus; quæque obvia vitas;
Cryſtalli cuſtos, excubitorque Tui:
Sic ſitiens, ſic eſuriens, tibi charus, & hoſtis;
Cogeris Arthemon, ne moriare, mori.

Cato ebrius.

EPIGRAMMA XXIII.

TV Cato Romani Majeſtas prima Senatus;
Tu mens, tu Patriæ norma magiſtra tuæ;
Tu Baccho indulges? turbant Tibi vina cerebrum?
Et læta miſces ebrietate jocos?
Quæ vino obſtiterit vis, quæ prudentia? Vino eſt
Victus Alexander, victus & ipſe Cato.

Cæſar in Senatu confoſſus ante Pompeij Magni Statuam corruit.

EPIGRAMMA XXIV.

DUm pleno Cæſar decernit jura Senatu:
Et Dominum patitur pallida turba Patrum;
Non patitur Brutus, non Bruto authore juventus;
Intulit armatas quæ furibunda manus.
Fruſtra ille innumeros enſem rotat unus in enſes;
Fruſtra arcet ſeram denſa per arma necem.
Exitus infelix! quà Magni proſtat imago;
Saucius inviſos corruit ante pedes.
Magne Tibi hunc tandem ſervabant fata triumphum:
Soletur Manes Cæſaris umbra tuos.

Jungan-

Jungantur Cineres: decidit Curia litem;
Ad Styga diſcordes ne ſinat ire Duces.
Ipſe Cato infernis mortem ſoletur in umbris:
Viſa eſt jam melior cauſa placere Dijs.

Solium Regibus ex Parentum oſſibus Ægyptij conſtruunt.

EPIGRAMMA XXV.

OSsibus incumbens patrijs Ægyptia regnat
Majeſtas: Solium hoc Regibus Aula parat.
Heu lugubris apex! heu Culmen flebile Regum!
Eſſe putet Sedem Rex ſibi quiſque parem.
Quid Solia, ò Reges, niſi mortis munera? Regnum.
Mors aliena dedit; Mors quoque veſtra dabit.

Atho monti imperat Xerxes ut recedat, ne viam obſtruat.

EPIGRAMMA XXVI.

SCeptra ſuperba gerens, & Majeſtate verendus,
Juſſa pati, Xerxes, ipſa Elementa jubet.
Saxa audite, inquit, celereſque recedite Montes;
Sic jubeo: Agminibus ſit via facta meis.
Stulte, receſſuris Cerebrum det Rupibus alas:
Diſcent à Cerebro ſaxa volare tuo.

Dionyſius Rex Æſculapij ſimulacro auream barbam avelli jubet.

EPIGRAMMA XXVII.

QUid facient fures, audent ſi talia Reges?
Si violant Aras, diripiuntque Deos?
Redde decus frontis: redeat barba aurea mento;
Barba, ne dicant Numina poſſe rapi.

Quid latro reſpondes? audi reſponſa Tyranni.
Religio Templis abſit avara meis.
Credite, Turba colit, pro Numine, Numinis aurum:
Poſthac non aurum, ſed colet illa Deum.

Catonis Mors illaudanda.

EPIGRAMMA XXVIII.

CÆſareos viciſſe putet virtute triumphos,
In ſua convertens viſcera, tela Cato;
Si cadere invitis mavult, quàm cedere, Fatis;
Stultitiâ peccant, & feritate manus.
An dubitas? confer, cum Cæſare Roma Catonem:
Ille Homines, ipſos hic petit enſe Deos.

Callimachus ſagitta trajectus; ſtans moritur.

EPIGRAMMA XXIX.

GRæcus ab aſſyrio confoſſus milite Miles
Non cadit; at viſus non periiſſe, perit.
Vel fugientem animam generoſo in pectore virtus
Detinet; aut animæ ſuſtinet ira vicem.
Ut ſteterat pugnans, ſtat cæſus in ordine pugnæ:
Succedenſque Viro militat umbra Viri.
Sic, quem vita locum tenuit, conſtantia ſervat:
Atque homo, quàm miles, deſiit eſſe priùs.

ALIUD XXX.

PEctore Callimachus fatalem exceperat ictum;
Nec viſum vitæ pectus egere ſuæ.
Ut priùs, invita potuit conſiſtere morte;
Spirare armigeras ore ſilente minas.
Nempe mori poſſum, non ſterni, dicere credas:
Dum ſpeciem muti, ſed meditantis habet

Tum

Tunc ego ſponte cadam; cùm ſit cecidiſſe decorum;
Cùmque meo caſu nemo ſuperbus eat.

Demens, vult pertinaciter ſine cibo vivere.

EPIGRAMMA XXX.

IMpius in ventrem, jejunia protrahit Amens:
Eſurit; & longam non levat eſca famem.
Optato, moriture, cibo cur viſcera fraudas?
Quæ tibi ſtultitiæ barbara cauſa novæ?
Conſilium inſipiens, & quid reſponderit, audi:
Mens vacua eſt; vacuus ſit quoque venter, ait.

Miles claudus.

EPIGRAMMA XXXI.

DUm ruit in bellum, pugnæ ſtudioſa Juventus;
Et rapit auditis martia tela tubis;
Tu quoque quìd læſo ſectaris poplite Martem;
Lapſibus alternis, qui gradiendo cadis:
Fallor: quid metuas, Vulcani, & Martis alumnus?
I celer, i felix; Numina bina favent.

Manlius affectati Imperi reus, è Capitolio deijcitur.

EPIGRAMMA XXXII.

LAurigero invectum Curru, Spolijſque ſuperbum;
Scandere Tarpejus quem modò vidit apex;
Ut ruis è ſummo dejectus Culmine Manli!
Cur ſequitur niſus tanta ruina tuos?
Ultimus eſt, cecidiſſe, gradus, nimis alta petenti:
Talibus ambitio ſaltibus ire ſolet.

Ad Th. C. è Soc. I. Poematum Scriptorem.

EPIGRAMMA XXXIII.

EXimios inter, lauro donande, Poetas;
  Summus apollineæ doctor in arte lyræ;
Quid ſegnem incuſas calamum Scriptoris amici;
  Exemplo ſtimulans, edere noſtra, tuo?
Irritus hortator Liber eſt: quo mira canente,
  Nemo velit, poſt Te, ſcribere; Nemo loqui!
Allicit ipſa tuæ, terretque imitatio Muſæ.
  Dum canere ergò doces, Ceva, tacere jubes.

Ad March. B. erudits, Iuv., & Muſarum fautorem.

EPIGRAMMA XXXIV.

LUmine Qui mentis, ſplendorem Sanguinis auges;
  Phœbi dulce decus, Martis Alumne ferox;
Largus, honorifico Vatem complexus amore;
  Immeritum, nimio thure, poema colis.
Te laudante, feror per Regia Tecta, per Aulas:
  Me Populo ereptum lector equeſter habet.
Judicio fit nempe tuo pretioſa poeſis;
  Noſtraque, ab Alterius gloria laude venit.
Me vel ad armigeri ducis Tentoria Campi;
  Creber & attenta Militis aure legis.
Mira fides! aliena canunt ſi Carmina Martem;
  Tu facis, ut Mavors Carmina noſtra canat.

Ad Excellentiſſimum Procerem, Pr. Marchionem.

EPIGRAMMA XXXV.

In-

INclyte Vir, Tameſis, Padus, Iſter, Sequana, Tybris
Quem celebrem, memori poſteritate colent;
Quem Virtutis apex, ad honorum culmina vexit; *Ampliſſimis illic legationibus clarus.*
Quem decora ornarunt omnia, laude pari;
Cæſareas Te implere vices, cum Roma videret; *Pro Imperat. ad S. Pont. Legatus.*
Quale, Orbis Capiti, ſenſit adeſſe Caput!
Sive acie mentis, tot gordia Vincula ſolvas;
Sive eadem, linguæ dexteritate ſeces.
Mars ille Auſtriadum cum Cæſaris arma moveret;
Omnia moturis, his quoque Motor eras.
Ergo, Italas potuit quid res attollere? quæris?
Eloquio, Eugenij dextera, iuncta tuo.

In Senem juveniliter Capillatum.

EPIGRAMMA XXXVI.

INconſulte Senex, venerandi proditor ævi;
Qui pubem affectas, canitiemque negas;
Exue calvitiem longævam Crinibus emptis:
Deſine mentitam ſpargere rore comam.
Fruſtrà diſſimulas annos; ſeniumque recondis;
Decipitur pulcris non Libitina dolis.
Maturum, te Mors præſentit, odore ſepulcri:
Cuius, ſub cyprio pulvere, pulvis olet.

Caligula Equum Conſularibus ornamentis indutum in Senatum introducit.

EPIGRAMMA XXXVII.

VEſtra quìd, attoniti Patres, ſtupor occupat ora?
Surgite nudato vertice, Conſul adeſt.

Con-

Conſul adeſt: veſtras, Cives, exponite lites;
Orator, Cauſas fare diſerte tuas
Hinc pete Vulgus opem, Dux robora, jura Senator:
Romaque feſtivum concinat omnis, jo.
Quis tamen hic Conſul? Cato tertius excidit Aſtris?
Diſſimulanſve Deum, Juppiter ipſe venit?
Ne majora petas: eſt dignus Principe Conſul:
Dignus, Jumento Principe, Conſul Equus.

Alarico Gothorum Regi, Romam diripienti Aquila enſem rapuiſſe fertur.

EPIGRAMMA XXXVIII.

SUpremam evertit Populator barbarus Urbem:
Roma cadit, ferro victima, præda rogo.
Dumque neces Rex urget ovans; Jovis armiger Ales,
Tela, manu Victor quæ gerit, ungue rapit.
Inſultus Aquilæ metuas, Alarice, ſecundos:
Poſt gladium, Sceptrum, quod rapiatur, erit.

In deprehenſam Mulierem, quæ proditoriam Epiſtolam. Comis implicitam defert.

EPIGRAMMA XXXIX.

DEferat occultas, fallax ut Epiſtola, fraudes;
Nec vigilans Hoſtis ſubdola verba legat;
Fœmina, fert flavis Scripta irretita capillis:
Retia, Fœmineas quis neget eſſe comas?
At dum forte comam diventilat aura fluentem;
Explicuit nodos; & patuere doli.

Ite

Ite modò ; Arcanum muliebri credite linguæ:
Ore tacens, facta eſt Fœmina, crine loquens.

Domitianus Muſcas captat.

EPIGRAMMA XL.

EXpaveant, Lupus, Urſus, Aper; Venatica Cæſar
Arma parat: nullis tuta Leæna locis.
Quò tamen, intento iam ſpicula dirigit arcu?
Quæve ſagittifero Cæſare, præda cadit?
Muſca cadit: proh, Roma, pudor! Rape tela Tyrano:
Quæ Fera ſit iaculis conficienda, doce.
Currite Venantes; huic uni inſiſtite Monſtro;
Pejor in hircanis, quo Fera nulla iugis.
Graſſatur totâ ſi Domitianus in Urbe;
Parcite iam Sylvis: Bellua magna, domi eſt.

Archimedes ſpeculo Romanam Claßem amburrit.

EPIGRAMMA XLI.

ARceat ut patrijs Romanum Mœnibus Hoſtem;
Mira Syracuſius comperit arma Senex.
Adverſos Soli Speculorum dirigit Orbes:
Colligit, & ſparſum Solis ab igne diem.
Hinc fluit emiſſum, vibrans incendia lumen:
Ardet, & in medio naufraga Roma Mari.
Nempe, quod æratis potuit vis nulla catervis,
Id potuit Speculi miſſus ab Arce nitor.
Ars potuit; Veneris poſtquam inſtrumenta paravit:
Ardebit Mundus; ſi ferat arma Venus.

Dionyſius Syracuſis Tyrannus, Corinthi Ludimagiſter.

EPIGRAMMA XLII.

Sede-

SEderat inviſa, qui majeſtate Tyrannus,
Ejectus Siculis, Plebe furente, plagis;
Inde Corinthiacæ divendens Verba Juventæ;
Vile magiſterium, de Duce Doctor, init.
Jure aperis Ludum, Pueriſque poemata cantas;
Dum ludum de Te, Fabula Sortis agit.

Duobus Bajulis Sternutando contendentibus Victor moritur.

EPIGRAMMA XLIII.

RIdiculo, Geruli heroes, certamine pugnant;
Cui plures jaciat Naſus in Aſtra ſonos.
Alterno explodunt ſternutamenta fragore:
Ut credam veris Æra crepare modis.
Plenius ille ſonans, centum exoneraverat ictus:
Nullaque reſpondens æmula Naris erat.
Hic tacet; ille crepat: Cui ſtat victoria? Neutri.
Perdidit hic palmam; perdidit ille animam.

Capite obtruncandus clementia Principis liberatur.

EPIGRAMMA XLIV.

DEmeſſura caput, pendet dum nuda ſecuris;
Lapſuram prohibent Regia juſſa necem.
Deficit audito conceſſæ munere vitæ:
Speſque ſevera magis penè timore fuit.
Infauſtus, fauſtuſque dies! de morte reſurgens,
Crede iterum naſci, qui perijſſe putas.
Nobilior tibi vita datur: prior altera Civem,
Hæc Regem agnoſcit vita ſecunda Patrem.

Avarus ſurreptis à Fure pecunijs, ſe ſuſpendit.

EPI-

EPIGRAMMA XLV.

DIves avarus, inops medio vivebat in auro;
Sordidus, & vitæ proditor ipſe ſuæ.
Qui gemit omne datum vitæ, quod ſurripit Arcæ;
Et quæ non ſepelit, mortua lucra putat.
Excubat aggeſtis pallens vigilantia gazis:
Proque omni vigilans Excubitore timor.
Nulla ſed attentum fallit vigilantia furem:
Fur penetrat clauſas, vel ſine clave fores.
Omnia prædatur: fueras qui veſpere Crœſus,
Mane Irus, Strato ſurgis, Avare, tuo.
Heu raptâ, ſine luce miſer, ſine corde, crumenâ!
Quid ſupereſt? anima deficiente mori.
Jam trabe ſupendit laqueum; jam guttura præbet;
Jam tremit optatam pallidus ante necem.
Quid miſer expalles? quid te ſuſpendia terrent?
Te Tortore gemis? Jam tibi Tortor eras.

Zoroaſter Bactrianorum Rex ridens naſcitur.

EPIGRAMMA XLVI.

MAterna egreditur ridens Zoroaſter ab alvo;
Viſus fortunæ conſcius eſſe ſuæ.
Exultent Populi: ſpondet felicia Regno,
Feſtivo exoriens Regius ore puer.
Imò fleant: quas non leges violabit adultus?
Si jam Naturæ frangere jura poteſt.

ALIUD XLVII.

QUid rides miſerande Puer? Fortuna reſervat
Venturum lacrymas tempus in omne tuas.

Non eſt, crede, novum; naſci inter gaudia Reges:
Riſiſſe Infantes, & gemuiſſe Senes.

Mithridates, veneno aſſuetus, libidinoſi Hominis ſimulacrum.

EPIGRAMMA XLIX.

ROmulidum terror Mithridates, creditur olim
Toxica ſecuris expetijſſe labris.
Hìc tamen haud primis virus dilexit ab annis;
Combibit aut plenam protinus ore luem.
Horror erat puero nomen fatale veneni;
De calice infecto noxia gutta cadens.
Inde metum longo cum jam dediſceret uſu,
Quis credat? potuit mortis ineſſe ſitis.
Sorbuit undanti ſpumantia pocula felle:
Peſtiferi potus nectaris inſtar erant.
Sic Puer ille, levem qui criminis horruit umbram;
Inde avido admiſit turpia quæque ſinu.
Improba delectant: uſu ſit dulce venenum;
Solaque, quam vitium condijt, eſca ſapit.
Mos in naturam poſtquam pertranſijt, actum eſt.
Qui meliora probant, deteriora legunt.

Pyrrhus Apollinem cum Muſis anulo inſculptum in bellum defert.

EPIGRAMMA L.

PYrrhe, quid armigerâ * volitans in prælia dextrâ,
Circumfers digitis Numina docta tuis?
An tibi ne deſit celebrandis Muſa triumphis
Pieridùm toto curris ad arma choro?
Curre, vola; famæ, & belli ſecurus honorum:
Mars quæcunque geret, teſtis Apollo canet.

* *Dictus Aquila ob celeritatem Plut. in eius vita.*

Xer-

Xerxes disjecto Ponte, iratus, Mare verberari jubet.

EPIGRAMMA LI.

FLuctibus impoſitam cum fregerit Æquor habenam;
Rex jubet undoſum lora ſubire fretum.
Littus & unda ſonant repetitis icta flagellis;
Emendant rabidos haud tamen illa Notos.
Stulte, procelloſam quamvis Mare temperet iram;
Fervebit Cerebri tota procella tui.
Proijce flagra: gemit Xerxes, Mare vapulat? ergò
Verbera tu ſentis; Te, furioſe, quatis.

Semiramis à ſpeculo ad ſubmittendum Populum convolat.

EPIGRAMMA LII.

NObile Criſtallum dum Regia conſulit Uxor;
Atque incompoſitas corrigit arte comas;
Excita ſeditio, commotâ fluctuat Urbe;
In Dominam totá Plebs Babilone fremit.
Protinus incomptis, rapto volat enſe, capillis:
Et vidiſſe Urbem, compoſuiſſe fuit.
Quid Speculum repetis? muliebre deſpice formám:
Martia dum terres; hoc magis ore places.

Artemiſia Viri cineres capiti intruſos condit.

EPIGRAMMA LIII.

INgemit ereptum dura ſibi morte Maritum;
Solvitur in lacrimas, & magis ardet amor.
Dilectos cineres fida Cervice recondit:
Exanimoque Viro viva fit urna caput.
Quæ ſtupor eſt Orbis, Molem Regina quid urges?
Tu Mauſolæum, quod celebretur, eris.

Utraque

Utraque qui confert Tumuli Miracula, dicet;
Id Regina potens, hoc facit Uxor amans.

Gibboſus Theſauro reperto, rectior incedit.

EPIGRAMMA LIV.

CUI prius intumuit deformi Gibbere dorſum;
Atque ubi mons fuerat; quì modò planus ager?
Prodigium feciſtis opes: nova Sarcina crevit;
Nec ſat ponderibus terga duobus erant.
Natura erravit: Gibbum nunc creſcere fas eſt:
Ut fiat gazis grandior Arca tuis.

Fulmen delapſum Ripulis in Regium Palatium, perluſtratis Nobilium Convictorum Conclavijs, tandem ad Sacerdotis pedes, ejus læſa leviter dextera, innocens evaneſcit anno 1708. 13. Septembris.

EPIGRAMMA LV.

NImboſo horriſonum delabens æthere fulmen,
Præcipiti excuſſam territat igne Domum.
Aſt ubi delectam conſpexit adeſſe Juventam;
Non audet tremulis lædere Tecta focis.
Quin etiam, timidæ quanta eſt reverentia flammæ!
Innocua, innocuos lambere viſa Thoros.
Cumque vago quateret Conclavia tota fragore;
Non opus audentis, ſed trepidantis erat.
Cur Myſtæ tamen icta manus? ſi dicere fas eſt;
Se petit abſolvi; ſe putat eſſe reum

Cyprinus ultra annos 100. in Regio Stagno Pariſijs vixit.

EPIGRAMMA LVI.

OCcidit Urbanæ Dominator * Cyprinus undæ;
Grandior, in vitreo qui lare, Neſtor erat.

* *Piſcis vulgo Carpe.*

Re-

Regia centenis per Stagna Natator ab annis,
Inſpexit * Regum florida Regna trium.
Et pretium, & pondus, nomenque effecerat ætas:
Noverat & Regem Squamea turba ſuum.
Quod ſtupeo, vixit Regali tutus ab hamo;
Retia, inoffenſum ſunt venerata Senem.
Ætatem hanc, alia nunquam ſperaſſet in Aula.
Quæ crevere nimis; conſenuere parum.

* *Henr.* 4. *Lud.* 13. *Lud.* 14.

Ad Exc. Com. Ant. Gub. in obitu Vxoris.

EPIGRAMMA LVII.

VAri grande decus; cujus clariſſima, longum
A * Beti ad Tybrim, gloria duxit iter;
Muniat excelſam quamvis ſapientia mentem;
Et ſorte invictum pectus utraque geras;
Haud querar, ereptæ fractum Te Conjugis ictu:
Dimidium tanti ſuſtulit illa Viri.
Parte Tui moreris, fateor: ſed & Illa, ſuperſtes
Vivit, qua voluit vivere parte magis.
Cuſtodi hanc partem: ſaltem (ſi vivere Conjux
Tota nequit) poterit nec tibi tota mori.

* *Hiſpanicis, & Italicis expeditionibus clarus.*

Ad Exc. March. B. ob ampliſſimam ſibi adjudicatam hæreditatem.

EPIGRAMMA LVIII.

SAnguinis, ingenij, morum, virtutis honori,
Una hæc, par deerat gloria, ſplendor opum.
Venit opum cumulus: plenoque Aſtræa favore,
Te ſimilem Magnis undique reddit Avis.
Pinguia fortunæ ne deſpice munera: gaudes
Qui tantùm Patriæ ditior eſſe bono.

Occu-

Occupat una tuam verùm neque Patria mentem;
Ex quo Mens loquitur Principis, ore tuo.
Gentibus invigilas: interque * oracula Regum,
Et Capita Europæ nobiliora ſedes.
Grande miniſterium notis virtutibus imple:
Pacem Orbi, & patrio Te citò redde Lari.
Sed fortuna licet, licet alta Palatia creſcant;
Hos homines, mirum eſt, ſi capit una Domus.

In Ultraječtenſi Conventu an. 1712.

Ad Fratres ut ſe Nicææ reſtituant.

EPIGRAMMA LIX.

TErgemini Fratres, quos dura Minerva fatigat;
Et varius vario dividit Orbe labor;
Reddite vos Patriæ; magniſque abſcedite curis:
Pondera longa premunt; continuata necant.
Non macer Eridanus 1. fera Sequana, Tybris 2. avarus;
Sed vocat ad certas 3. Pallio pauper opes.
Juverit hìc quoties unà conſidere Menſa!
Audire alternas, & recitare vias!
Aulas, atque Urbes, moreſque, viceſque Locorum
Qui doceat, ſemper de tribus unus erit.
Cumque avidi venient veſtra ad Convivia Cives;
Haud epulas poſcent, ſed ſibi verba dari.
Ni ſatis eſt linguis; doctis date Nomina chartis:
Hoc ſupereſſe ſibi eſt; & ſine morte mori.

1. *Fero bello æſtuans.*
2. *Non admodum fructuoſus.*
3. *Exiguus Torrens Nicææ muros alluens.*

EPIGRAMMA ULTIMUM.

OMnia ni ſimilem ſapiunt Epigrammata venam;
Ut dubites unum verſibus eſſe patrem;
Ingenij culpa eſt; rapido quod ſæpiùs œſtro,
Effudit potiùs carmina, quàm peperit.
Virtutem hanc reprobo: puduit nimis eſſe diſertum:
Non citò, ſed laus eſt vera, placere diú.

INDEX EORUM

Quæ in hoc Opere fuſiùs deſcribuntur.

A

AMbulationes umbriferæ, & peramœnæ. Pag. 4. 32. 65
Aquæ ſalientes. 21. 24. 33
Aquarum luſus. 21. 37. 127
Artium liberalium ſtudia. 83. & ſeq.

B

BElli irruptio. pag. 114. *Altera* 132.

C

CAnis venatici indoles, & exercitatio. 132
Certamen equeſtre collimantium in annulum. 5
Certantium in Pugilem. 74
Certamen ſingulare lanceâ. 93
Securi. 95. *Gladiô.* 97
Chorea, ſeù ſaltatio ad numerum. 76

D

DOmus ſtructura, & pulchritudo. 12. 13
Ornatus, & ſupellex. 14. 25. 34. 125
Domus elegans, & ampliſſima. 57. 69. 119

E

EQueſtre Atheneum. 74
Equus umbratilis. 77
Echo. 100
Equi venatici indoles, & exercitatio. 121

F

FOns opere marmoreo, Neptuni. 20
Nympharum. 22. *Cervi.* 119
Fons Sirenum. 120. *Herculis.* 127
Fluvius exundans. 26
In flumine diſcrimen Principis. 27
Aliud mira animi vi ſuperatum. 28
Adoleſcens fluvio, nando abſorptus. 50
In fluvio naufragus, virtute Principis ereptus. 51

H

HOrtus Regius. pag. 6. 7
Hortus hyemalis. 34
Ex omni genere florum. 36
Hortus Montanus. 99
Hortus Citrius. 64
Ad exprimendos Domini mores excultus. 106
Barbaricus, ſeù Peregrinus. 110
Floribus clarus, & Fontibus. 120
Hortus bello æſtuante conſitus. 120
Hortenſes Areolæ ex Myrto. 6. 33. 125.

L

LAbiryntbus. pag. 108
Lacus piſcoſus. 103
Ludus tudicularis majoribus globis. 36
Pilis buxeis, & clava trudendis. 47
Ludus Sariſſophori. 75
Laniſtæ, & armorum Magiſtri. 78
Luſorij Follis. 62
Ludus tudicularis globulis ex Ebore. 134

Reticu-

Reticulata Palmula. 137
Ludus Latrunculorum. 139

M

Marrhio, Portentum ad prænoſcenda tempora. 100
Montana via horrida, & magnifica. 70
Muſeum Regio Sabaudum. 80

N

Nicæa. 117

P

Piſcatio. 103
Picturæ ex Opticæ legibus. 14
Picturæ Cronologicæ. 35. *Sacræ.* 45
Profanæ, & militares. 89. 90
Piſcina. 33. 68. 109. 128
Pomarium. 37. 61. 107
Principum mores, opera, geſta.
Amedei V. à Sab. 90
Amedei VI. 91
Amedei VII. 92
Aliorum Sab. Principum. 98
Joannę Marię Baptiſtę *à Sab.* 31. 87
Ludovicæ á Sab. 32. 45
Julii Ludov. à Sab. 68
Caroli Emm. I. 8. 14
Catharinæ Auſtriacæ. 113
Victoris Amedei II. 87. 114. 129. 132

S

Scientiæ univerſæ. 83. *& ſeq.*
Statuæ in Ædibus 5. 16
Statuæ in Hortis. 126
In Fontibus, vide Fontes.
Sylva voluptaria. 7. 51
Infrugifera ad opacitatem. 60
In Theatri ſpeciem. 67
Sylva nativa. 52
Barbarica, peregrinarum Arborum. 68
Elegans, & perampla. 111

T

Taurini Nova Civitas. 73
Tempeſtas, & conflictus ventorum.
Tempeſtas in Lacu. 104
Teſtudine canens Liuto. 81
Theatrum marmoreum. 125. 128
Tripolis à Gallis exuſta. 85

V

Venaticum Palatium. 116
Venatio feſtiva. 9
Venatus Cervorum. 55. 121
Vicus major in Urbe. 3
Vivarium, ſive Septum altilium Ferarum. 8. 52
Umbraculum hortenſe, & peramœnum. 69. 111

X

Xerxis Platanus. 67

CORRIGENDA.

Errata.		*Corrige.*
Opulentiæ	pag. 19.	opulentia.
radiabus	pag. 31.	radiabis.
trans	pag. 39.	trans.
bracchia	pag. 171.	brachia

F I N I S.

C 102 #7.
Audiberti

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 040128586